This is a digital copy of a book that was preserved for generations on library shelves before it was carefully scanned by Google as part of a project to make the world's books discoverable online.

It has survived long enough for the copyright to expire and the book to enter the public domain. A public domain book is one that was never subject to copyright or whose legal copyright term has expired. Whether a book is in the public domain may vary country to country. Public domain books are our gateways to the past, representing a wealth of history, culture and knowledge that's often difficult to discover.

Marks, notations and other marginalia present in the original volume will appear in this file - a reminder of this book's long journey from the publisher to a library and finally to you.

Usage guidelines

Google is proud to partner with libraries to digitize public domain materials and make them widely accessible. Public domain books belong to the public and we are merely their custodians. Nevertheless, this work is expensive, so in order to keep providing this resource, we have taken steps to prevent abuse by commercial parties, including placing technical restrictions on automated querying.

We also ask that you:

+ *Make non-commercial use of the files* We designed Google Book Search for use by individuals, and we request that you use these files for personal, non-commercial purposes.
+ *Refrain from automated querying* Do not send automated queries of any sort to Google's system: If you are conducting research on machine translation, optical character recognition or other areas where access to a large amount of text is helpful, please contact us. We encourage the use of public domain materials for these purposes and may be able to help.
+ *Maintain attribution* The Google "watermark" you see on each file is essential for informing people about this project and helping them find additional materials through Google Book Search. Please do not remove it.
+ *Keep it legal* Whatever your use, remember that you are responsible for ensuring that what you are doing is legal. Do not assume that just because we believe a book is in the public domain for users in the United States, that the work is also in the public domain for users in other countries. Whether a book is still in copyright varies from country to country, and we can't offer guidance on whether any specific use of any specific book is allowed. Please do not assume that a book's appearance in Google Book Search means it can be used in any manner anywhere in the world. Copyright infringement liability can be quite severe.

About Google Book Search

Google's mission is to organize the world's information and to make it universally accessible and useful. Google Book Search helps readers discover the world's books while helping authors and publishers reach new audiences. You can search through the full text of this book on the web at `http://books.google.com/`

R.211.301

LIBER NOVVS DE METALLORVM CAVSIS ET TRANSSVBSTANTIATIONE,

Editus per

THOMAM MORESINVM
ABERDONANVM SCOTVM,
Doctorem Medicum;

IN QVO CHIMICORVM quorundam inſcitia & impoſtura Philoſophicis, Medicis & Chimicis rationibus retegitur & demonſtratur; & vera iis de rebus doctrina ſolide aſſeritur.



BIBLIOTECA COLEGIO DE Sn CARLOS

FRANCOFVRTI,
Apud Ioannem Wechelum.
M D XCIII.

INVICTISSIMO REGI SCOTORVM IACOBO SEXTO S.

A*SSERVNT* Ægyptii Iſidem plurium inuentricem ad morbos medicamentorum, & medicinæ arti admodum contuliſſe, Rex Illuſtriſsime, inq; hominum valetudine præcipue verſari, etiam & in ſomnis illam dicunt non recte valentium morbis auxilia præbere, & qui eius monitis obtemperent præter opinionem curari: ab ea quoq; medelam ad aſſequendam immortalitatem aiunt eſſe inuentam: itaq; Orum filium à Titanis inſidiis interfectum, ac per aquam repertum, non ſolum in lucem reſtituit, ſed & fecit immortalem. Huic rei fidem facit inter alia, & medicina inter nos nomen deæ retinens: ea eſt Iſis illa ſacra, ex templorum adytis repetita, quæ iudicio veterum, omnia emplaſtra ſuperat, ex

COLEGIO DE S.N CARLOS

Vulcani templo, Ægypto translata eſt, hyèrogliphicis primum deſcripta. Orum dicunt Apollinem interpretari, ac medendi diuinandiq; artem à matre Iſide edoctum, multum hominibus tum oraculis, tum medelis attuliſſe vtilitatis. Apollo Æſculapiũ generat, iſte habet Podalirium & Machaonem, quorum opera res medica per manus tradita eſt Hippocrati, qui & ipſe Æſculapii eſt genus. Galenus *Hippocratem annis* & *pannis obſitum reſtituit luci, addit quæ ad rem factura videbantur,* & *medendi artem abſoluit: noſque medicinæ ſtudioſi placide horum veſtigiis innitentes, curamus cito, tute, iucunde: curamus autem vſu vegetabilium, animalium,* & *mineralium; tuto non adhibemus morbo medelam, niſi prius cognita ſimplicium medicamentorum natura, hanc nos docuerunt cum primis illis viris medicis, philoſophi, & poetæ. Vnus à mundo condito repertus eſt Paracelſus qui hanc medẽdi methodum infirmare ſpirans, & hominum conſentiente authoritate non contentus, damnarit medicinam ad metalla; hunc ineptum cum ſuis concionibus inter alios refellit ſtrenue Thomas Eraſtus*

vir

vir late doctus, Paracelſi conterraneus & ſynchronus, ineptamq; eam probans methodum, quæ nomina morbis & curam ab metallis mutuetur, hominem de ponte deiicit. Altera eſt lis quam Paracelſus, & eius aſſeclæ à veteribus nonnullis Chimicis mutuati, ipſi curant: ea eſt de metallorum cauſsis. Sunt & medici non pauci, qui rei iſti iuerunt obuiam, ſed Philoſophice, ſed rationibus é veteri re medica, & philoſophantium veterum libris erutis: vt videtur hac etiam de cauſſa, quod contenti hac veterum doctrína, hos Chimicos fumiuendulos, ordinē perturbantes publicum, nollent nec audire, nec rationes, contra receptam à multis ſeculis opinionem, admittere: aut quod lectionem Chimicorum ac inutilem reiicerent, aut offenſi nouitate dictionum artis, obſcuritate ſententiarum, & de induſtria perturbati ordinis, bonas putarent horas huic temeritati non impendendas. Sed dum hos cauent labyrinthos ſannis Alchimiſtarum accipiuntur, qui rem ſuam Chimice diſputantes, obiiciunt, non poſſe medicos aſſequi tam ſublimia myſteria, & offendere ad Chimiam, cuius tamen neq; ſenſum neq; vo-

lib. Para. capit. de philoſophia.

ces intelligant: itaque parum abeſt quin triumphum erexerint. Hæc res, me Apollini ſacrum, mouit in campum deſcendere, ne Chimici ante victoriam triumphum canāt, & qui in ſtudiis philoſophicis, medicis, & id genus aliis ætatem, quæ abiit, contriuerim: qui optimos, quos habet Europa præceptores audiuerim: celebres orbis vniuerſitates frequentauerim; & quos potui in re literaria ſapientiſſimos, adiuerim, vt eorum colloquio doctior euaderem: qui deniq; libris Chimicorum & experimentis operam dederim; poſſum ante alios hanc curā meo quaſi iure mihi vēdicare, ſi medice, philoſophice, & Chimice Chimicorum futilitati reſpōdero. Res eſt iſta quæ principes viros doceat, quæ tot principibus & rebuſp. impoſuerit, imo plures ad proteruiam inuitauerit, & quæ in ſe contineat tam late famatam de tranſſubſtantiatione metallorum quæſtionē, cuius odore prouocati pene omnes Europæ principes, vt gregarios ſileam, naufragium olei & operæ fecerunt. Taceo auum tuum felicioris memoriæ Iacobum Quintum *cum ſua creatura Abbate Tunlandiæ, qui, dum in multiplicationis verba aſſen-*

ba aſſentitur Rex, eum circumducit ingentibus pecuniis. Ne igitur te aurem accommodare ciniſlonibus Chimicis, & tranſelementatorib. in animum inducas, quem Deus voluit hucuſq; ab hac peſte eſſe liberum: decreui ad tuam maieſtatem plene ſcribere de re tota. Obrepent ſcio in aulam, & ſunt (noui .n. vt homines, ita & idioticam infantiam ſuperbiæ innitentem, qui præter focũ domeſticũ, prætereanihil) qui blandis & veriſimilib. concionibus perſuadere conabuntur, eſſe aliquid in arte transformationis Chimicæ, quod cum vtilitate adferat voluptatem. Nec ego ſane eo inficias huius induſtriæ homines ad perſuaſionem eſſe compoſitos: non eſt techna, quæ vt tendat laqueum, non habeat ad rem compoſita verba: nõ eſt Chimiæ filius, qui adulari, & blande appellare (duæ artis columnæ) neſciat: qui montes aureos (tertium multiplicationis fulcrum) diuitibus non polliceatur. dicunt tum abſtruſa & recondita arte habere, & comminatos artis huius patres filiis non ſemel, ſi tantæ ſublimitatis rem in vulgus abſcedere aliquando permitterent: tamen ſi ego meis rationibus perſuaſero hanc ſacratioris

myſterii rem, conclamatæ inſaniæ eſſe ſignificationem. non erit in poſterum, qui audeat Mag. aures his illuſionibus offendere, aut ſuis bracteatis lenociniis principib. imponere tuis. Exeat igitur ſub M. T. tutela in publicũ, doceatq; alios, cùm tibi ſuæ æquitatis fidem fecerit, quam à vero aberrarint, qui vario ſermone cauſſas metallorum vni metamorphoſi accommodarint, & ita plurimis impoſuerint. Et ſi hunc meum induſtrium laborem abs te probari videro, audebo alia mea medica, philoſophica, theologica & poëtica M. T. commendare. Quæ dum enixe curamus, Deum opt. max. precamur, vt te, heroinamq; tuam feliciter vnanimes velit æterna prole beare. Vale, Francofurti ad Mœnum Calend. Februar. Anno æræ Chriſtianæ I Ɔ. C I Ɔ. LXXXXIII.

M. T.

addictiſſimus

THOMAS MORESINVS
Aberdonanus Doct. Med.

DE ME-

DE METALLORVM CAVSIS, EORVMQVE METAMORPHOSI.

SVSCIPIENTI mihi contra Chimicos de metallorum genitura defenſionem, erit res video cum magnis illis ſeculi prioris viris Gebero, Lullo, Alberto, & id genus naturæ aſſeclis, qui nihil prius habere videntur ratione & experimentis, & varie varia diſſerenti occurrent forte huius æui non vulgaris eruditionis illi, qui tranſitionem à fide medica facientes ſe totos dicauerunt Alchymiæ: nec meas rationes cum horum componēti, ſemper auxiliatricem offerent manum Philoſophi, aut Phyſici medici; ita ſedet animo, meis aliquando potius inniti argumentis, quam vbiuis gentium, tanquam ad ſacram anchoram, ad theoremata veterum auolare, noſtro cum placeat, ac video, orbi, & inuentis addere, & congruam elicere ex veterum ſcriptis mentem, quæ voces noſtras non abhorreat. Nam (vt Ganiueti aſtrophili in Amico, quē vocat, medicorum vtar ſententia) *artifex dici non meretur, qui ſemper libris vtitur inuentis, & doctrina aliorū, nihil de ſuo addendo.* Sunt & ciniflones circumforanei, & carbonarii imperiti huius æui, ferulæ qui manū nunquam ſubduxerunt, Chimice tamen ſubſcribant, fumorum artis hæredes, qui poſt ſumptus cum dedecore effuſos iactabunt in me probra, & ampullas vitreas abiectæ plenas mentis: ſed quoniam horum ine-

ptiæ obuiam nunc olim iuimus, ſtatutum eſt mihi in animo,nõ habere modo hac de nequitia quæſtionem, ſed cum iis, qui in naturæ abdita penetrarunt, & vt ſuus cuique eſt mos in metallorum principiis ſtabiliendis, quæ Chimici alia atque medici cum Philoſophis probant ratione,ortum & Stagyrim, vt plurimum varie diſtrahunt, qui tamen naturæ quoniam adhærere mihi videntur, & intra rationis ſuæ limites quiſque ſe continere,hanc gratiam his beneuolis acceptam referimus hominibus quod diuitias ex abdito naturæ ſinu erutas ingenioſiſſime humano generi prodant, & alia ad alios vitæ vſus accommodẽt. Cui mortalium ſectæ, ſi,ac aliis artibus, frænum iniiceretur, & certa ſtudiorum methodus, poſſet detegere ſtomachum, & liberius pro ſe cauſam dicere, deturbatis impoſterum cuniculis, & improbitate præſtigiatorũ, qui artem alioqui vtilem, quaſi cum ipſis & natam & periturã mortalium ſannis accipiendam præbent, vtpote quæ tota, ac nunc ſunt tempora, hominum bonis & vitę inſidiari videatur.

Quare ſi propter abuſum,& artis non reuelata huic æuo myſteria, noſtri & Reges & Leges, & medici interdicant inter alia Chimicis negotio morboſo, ſuo iure id mihi facere videntur: cũ quid ſibi velit res medica primi Chimici non curarunt, multo minus morbo medicinam facere; cum placita veterum Chimicorum noſter ignoret orbis, ita placuit inuolucris hãc rem vallare totam,ne peruia eſſet:aut diſſimulare verborum quadam ambage,ne in vulgus abſcederet, metallorum vt origo,ita &,quam illi prædicant, tranſubſtantiatio.Ita fuco illitam videmus Mercurii *tabulam Smaragdinam*, ita Geber mihi faſcinare videtur quod docet, ita eius interpres Lullus conniuere in authoris ſui mente elucidanda, ita Albertus non intellecta plurima hominum effutire cœtui, vana vt plurimum docere,& perſpicue falſa,vt *ruſtici mendacis* nomen obtinuerit:

nuerit: ita natura ad Eurotam ſedente Paracelſus præſtigiis, conſtellationibus, characteribus, amuletis ſe proſtituere (vt videre eſt Paragr. cap. de Philoſ. item lib. 5. de cauſ. morb. inuiſib.) quaſi ea, quam ſuſcepit ars introſpiciciendam, non ſit opus naturæ, aut alicuius impii dęmonis ſtultiloquium, qui humano, vt ſemper, male vult generi. Et ne ſine nomine iſta dicere videar, inquit Ioannes Aurelius Chimicus Chryſopeæ lib. 2. *Officium Chimicorum totum in his conſiſtit.* 1. *materiæ cognitione.* 2. *eius debita præparatione.* veteres autem ita hæc omnia inuolucris obnubilarunt, vt in eorum ſcriptis prorſus cæcutiemus. nomina enim huic rei tam abſtruſe imponunt barbara, quæ ipſi fabricauerunt mille, quæ tamen nihil certo ſignificant, rem nullam, nedum viam, modum aut rationem, qua res fit: nunc à Poëtis verba mutuantur, ſed temere, vt quorum ſcripta meræ ſint nugæ, & fabulæ ad hoc compoſitæ, vt vocum blanditia ignauos illaqueent ſpiritus: nunc diuinorum & augurum non abhorrent verba, materiæ Chimicæ tamen, & propter ſenſus altitudinem, & dictionum ſcabritiem, minus conuenientia: aut quoniã ſuperſtitionem augurum vulgo illudere viderunt, voluerunt & ipſi cum hac ratione inire pactum, & figuratis vocibus cauere perſonatæ ſuæ rei, ne in plebem abiret. Hac etiam ex re inutiles plurimas intermiſcent conciones, ordinemque de induſtria perturbant. Et lib. 3. ait: *Veteres aut malitioſe hanc nos artem celarunt, aut eam ignorauerunt, aut vocibus exprimere nequiuerunt idoneis.* Se autem iactat vocibus intelligibilibus rem totam ſcripturum; paulo tamen infra fatetur, ſe ſcrutari, quæ ignoret adhuc, artis præcipua myſteria, & nec ea ſcire, nec dicere poſſe. Si ita eſt, ac Chimici mecum fatentur, aut deſinat noſter orbis hanc artem, aut eam intelligat præſtigiis in medium depoſitis: teſtorque hominum conſcientiam ſi quid ſit in arte, vt nunc eſt apud Sycophantas, quod cum aliis artibus ad

nomina reſpondere poſſit, medicos taceo plures, qui varia ſuæ profeſſioni non inutilia, ſed cum delectu, ſed rationi conſentanea mutuati ſunt, quæ ipſi intelligũt, non abhorrere veritatis calculum ſciunt, cui ancillantur, & naturam non auerſari humanam: luci reſtituta priſtinæ pharmaca, aut, vt ſit illis hic honos, quia non habent, quod præ ſe ferant nomen vetus, adinuẽta abs ſe mineralium, herbarum, animalium præparationem, transfigurationem, & mixtionem integra Chimicorum labori induſtrio, intactaq; relinquo.

Vt enim horum induſtriam laude ſua fruſtrari non cogito, ita vſum non ferendum cenſeo, niſi in paucis, & ex eorum manibus qui didicere bene ſapere, qualem inter alios ego fateor Chenæum ſeu Quercetanũ, beneque cupio hominis genio, qui induſtrio labore plurima recte tenet, precorque, vt ſemper in melius proficiat. Quod ſi non ſentiam, æque de metallorum generatione ac ille, habeo rationem qua me tuear; ipſeque Quercetan. huic ſuæ cauſæ diffidit in præfatione ad ſuam chirurgiam, vt & lapidi philoſophico. Quod autem aliquando ſecus ſenſerit, quid facias? homines enim cum ſimus, errare poſſumus. Sed & ego hanc prouinciam iniui, non vt Chenæo dem bella, quem ſcio veterum medicorum & philoſophorum theoremata colere, bene mereri de literis, & nouis experimentis, & naturæ ſinu feliciter erutis morbis proſpicere: quem ſcio nolle præterea Empiricorum periclitationes ignaras defendere, aut cum Paracelſo firmis philoſophiæ axiomatis diem dicere barbare, inſulſe, obſcœne, tragice. Ait enim Sclopet. cap. 5. *Ego Empiricorum cauſam tuendam non ſuſcepi, qui non verentur in hominum vitam ac corpora graſſari, cum eos potius exterminandos cenſeam.*

Quare ne noſtri æui ciniflones putent ſe habere Chenæum inſcitiæ ſuæ patronum, miſeri adulteratores metallorum præceptorem; aut denique principes

viri

viri admonitorem ad opes temere profundendas,quæ alioqui ſeruiant reipublicæ: in animum induxi meum Auberti & Quercetani veſtigiis inſiſtere, eaq; ex meo addere quæ videbuntur: At Paracelſo vt miſotheiam obiiciam non curo. Fuit enim is vir multi ingenii in re metallica,& exercitationis plurimæ,ni virulenta dicacitas, & inutile innouandarum rerum ſtudium hominem à vero abduxiſſet in pluribus. Potuit enim felicioribus auſpiciis rem in multis vtilem poſteritati cõmendare, niſi quales habuit magiſtros (ac Quercetano placet) Ægyptios præſtigiatores,Arabes circulatores, ipſe talis eſſe maluiſſet, quam expertæ veritatis filius:perſuaſus,vt videtur,*dæmonas metallicos* (vt vocat Bellonus lib. 1. cap. 52. memorabilium: & ipſe etiam Paracelſ. appellat *Archæum* inter hos ſpiritus vnum, in 2. Chirurg. grandiſſimæ ſect. 2. cap. 11.) in terræ viſceribus habitare, & molem hanc foſſilium, quam reſtituiſſe obſoletam ſe gloriatur, formare, educere, cogere,diſcriminare: educta,formata,coacta, ſedibus diuiſa regere,& conſeruare metalla: ni, vt totam vendicare ſibi medicinam, quam ne ſupremis labris attigerit, ambitio hominis,videretur, nomina innouaret, obſcura pro manifeſtis,noua & non apta pro expertis, & agnitis verbis proferret, matæoſophiam ſuam omnium, quos mũdus vnquam habuit, ſophiæ præponens: ita enim in præfatione ad Paragranum ait: *me ſequimini Auicenna, Galene, Rhaſis, Meſue, Montagnana, &c. vos me ſequimini, & non ego vos: vos Pariſienſes, vos Montepeſſulani, vos Sueui, vos Miſnei, vos Colonienſes, vos Viennenſes, imo quicquid Danubio & Rheno continetur: vos in inſulis maris, tu Italia, tu Dalmatia, tu Sarmatia, tu Athenienſis, tu Græcus, tu Arabs, tu Iſraelita, omnes me ſequimini, & non ego vos, nullus veſtrum, vel in abditiſſimo angulo vbi canes mingunt, manebit: ego monarcha ero, mea erit monarchia, & cingam lumbos veſtros.*

Quomodo ſic placet vobis Cacophraſtus? iſtas lautitias vos deuorare oportebit: quomodo vobis cornutis placebit, quando veſter Cacophraſtus princeps erit monarchię? vos autem eritis calefactores caminorum: quomodo videbitur vobis ſi triumphabit ſecta Theophraſti? vos autem in meam philoſophiam cogemini conſentire, & veſtrum Plinium Cacoplinium appellabitis, & veſtrum Ariſtotelem Cacoariſtotelē: ego vero & ipſos, & veſtrum Porphyrium, Albertum &c. in meam &c. impreſſero, vna cum veſtra compaternitate. Sed ad rem, quorſum enim Solem aurum, Lunam argentum, Martem ferrum, Mercurium hydrargyrum, Iouem ſtannum, Venerem æs, Saturnum plumbum? an ficum ficum dicere non licet? an Phauorini philoſophi id excidit animo? verbis præſentibus eſſe vtendum, an reuocabit Actium & Pacuuium? an nauſeabundum Tiberium, Hadrianumve? non equidem, ſed nuſquam gentium audita in medium deponet, & quæ, ac dixi, ipſe nec intelligit, nec certæ rei ſignificandæ adfigere poſſit, ſed deridebit hanc totam ineptiam Athenienſis anicula. At profecto, quia Sol & Luna duo ſunt luminaria magna, placebit aurum & argentum duo chimicis inſigniora foſſilia his nominibus inſignire. Apage voces abſonas: an tanti erit innouatio re nulla cogente? ſimilitudine claudicante moliri, ac dicunt, quidlibet ex quolibet? Sed opponet huic temeritati ſe Paracelſ. lib. 3. tract. 2. ca. 4. de morb. metall. ait enim: *Nomen quidem eſt vſitatum, vt argentum viuum vocetur Mercurius, vt ſit ſub Mercurio, ſicut aurum ſub Sole, ſed non iuxta naturam rei impoſitum eſt, eſt inſipiens & falſa phyſica ordinatio. Argētum enim viuum iuxta naturam ſuā potius vocari debet luna, nix, hyems, frigus, glacies: argentum autem debet vocari Saturnus: plumbum autem Mercurius:* his reſpondeant diſcipuli, ſi rem ſuam telis noſtris imperuiam eſſe voluerint: ſed & in ſuis nominibus an Pythagoram vult

Paracelſ.

Paracelſ. & inuolucris ænigmaticis cauere ſuæ rei? ſane ſi celandi ſtudio doctrinam ſuam hoc fecerit, impius eſt, vt qui inuideat rem vtilem mundo, quam diu Hippocrates. Galenus, Paulus, aliique omnes, quos vnquam orbis habuit medicos, aut ſapientes, voluerunt mortales ſcire, & per hanc ſanitati conſulere. Sed mecum ſentit Paracelſ. qui medicos nuſquam non accuſat veteres, quod ipſe præ illis ſit plebeius, & quæ illi ac nauci medicamina ſpreuerit, ipſe morbis adhibeat feliciter, ſic enim ait lib. Paragr. cap. de Philoſoph. *quis vulgo iudicem eliget ſuper vos ſophiſticos medicos? cum omnibus hominibus ænigmatici ſitis, & vobis tam mirabiles dictionarios & vocabularios feceritis, vt quicunq; eos inſpiciat, indeceptus non recedat, ideoque inuolutis verbis in apothecas ſcribitis, cum plebs ſæpe in horto ſuo meliora habeat: cum tamen medicina in quauis patria lingua tam clare & perſpicue tradi debeat, vt medicus germanus Arabem intelligat, & Græci Germanicum: ſic morbis & partibus corporis nomina imponenda ſunt iuxta res externas viſibiles ipſis correſpondentes. Vnde ſequitur, vos non debere dicere, hoc eſt cholera, hoc eſt melancholia, iſta nomina non fluunt ex fonte medicinali: ſimile enim ſuo ſimili comparari debet, quare potius dicite: hoc eſt arſenicum, hoc aluminoſum, hoc eſt Saturni, hoc Martis.* & infra ait: *Oportet me iterum loqui de ea parte, quæ mihi tamdiu refragata eſt, cum impreſſiones, influentias, verba characteres, ſpiritus ſiue bonos ſiue malos, fructus, & mineralia res ad medicinam inutiles, & non neceſſarias vocarunt, quib. nos vtimur, & curamus.* Galeottus tamen Martius lib. de doctrina promiſcua cap. 24. & Ioan Aurel. Augurell. Chryſop. 1. omnem vim efformandorum metallorũ Soli, Lunæ, & reliquis Planetis concedũt, & ideo metallis Planetarum eſſe impoſita nomina, vt genituræ penes ipſos ſit, vt efficientia, ita & nomen: Sed ſane Quercetano parum in libris Chimicorum verſato, & ciniflonïæ, ac ſpero hac in parte addicto, hãc veniam

damus, ſi ſecreta artis ignoret: tum Auberto medico peſſime obſtrepere fatemur Chenæum ſeu Quercet. dum negat materiam, efficientiam, & nomen metallorum ad Planetas referri. At ſi Quercet. iſta præceptori accepta remiſerit, damus & illi, vt hãc vanitatem infantiæ plenam: ita & dæmoniorum fraternitatem, cum beluis colloquium, vt qui omnes non ſcientiæ, at nequitiæ Pythagoricæ numeros impleuerit: cum numeris, aſtromania iudiciaria, & exorciſmis illi res eſt, ac Pythagoræ: in granditate etiam ſuæ Chirurgiæ ſe curare morbos deſperatos ait perceptis conſtellationibus, exorciſmis, & id genus anili delirio. Imo hanc rem ita aperte tuetur, ita impie in medium deponit lib. de Characterum efficacia, vt in hæc tandem verba prorumpat: *Si omnes artes diaboli addiſcere poſſemus, tũc artibus vtendum eſt, & ſi vnus ſpiritus tibi ſeruire non vult amplius, dimitte eum, decedente Conrado aderit Hẽricus.* & paulo poſt: *Licere nobis ait in neceſſitate, vti opera diaboli, & mediis inuſitatis.* Deus tamen 2. Reg. 1. Ahaziam in neceſſitate vitæ conſulentem Baalzebub morti adiudicat. Paracelſumque eò abduxit nequitiæ parens, vt Moſis & Magorum opera eadem ſtatuat, niſi quod Moſes & Aaron abſque arte facerent, quæ Magi per artem: imo vt in harum artium abdita penetrarent, Moſen & Salomonem ait ludos, ceremonias, ieiunia, precationes inſtituiſſe dæmonibus: hancque artem Paracelſum apud Ægyptios & Arabes ſomniatores ſibi comparauiſſe teſtatur Quercetanus: cuius tamen ineptiam Paracelſus ineptiæ conuincit, qui quos habuit ſacrificulos præceptores, & ſolos docet Chirurg. grandis lib. 3. ſect. 3. cap. 1. & apud quos à mundo cõdito delituiſſe ſapientiæ omnia ſeminaria perſuadet, à quibus ipſe humano generi hauſta prędicat. Quamuiſ ipſe, tum ipſius aſſeclæ alibi aſſerant, quam habent medendi artem, ſe eam primis, qui vnquam fuerunt medicis, acceptam referre. Hippocratem tamen ſci-

mus

mus Æſculapii præ ſe ferre genus, Æſcul. Apollinis. Apollo autem apud Ouid. dicit:

Inuentum medicina meum eſt, opifexq́ per orbem
Dicor, & herbarum ſubiecta potentia nobis.

Paracelſici ſomniant Apollinis, Æſcul. Podalyr. Machaon. ſcripta apud Pannoniæ aut Poloniæ quendam monachum ſe vidiſſe, ex quibus depromant ſuam iam ab orbe condito tacentem artem; nos contra tholis & tabulis templorum inſcripta aſſerimus, & ſine arte cõtexta experimẽta illorum primorum hominum. Quæ quidem in artem redigere primus conatur Hippoc. & felici ſucceſſu excerpta ex tabulis, & ſacellorum valuis redigit. Et hæc eſt iam diu hiſtoria rerũ notiſſima toti cœlo: iam ſe vnum fateatur Paracelſus Æſculapii genus, & qui aliquid ſciat, quique artem à Podalirio acceptam informem quidem eam, ipſe formet, ſed qui conſentienti non credit hominum opinioni, *expectat*, ait Cicero: *vt beſtiæ loquantur.* & *leuia*, ait Cornel. Celſus, *ingenia, quia nihil habent, nihil ſibi detrahunt.* Quãti tamen faciat Æſculapium Paracelſus (vt conuicia in reliquos medicos & philoſophos, quos vnquam habuit mundus, non repetam virulentiæ & ſordium plena) audite in Paragr. præfatione ita diſſerentem, *Alchymia ipſa mihi veſtrũ Æſculapium &c. aliosq́ veſtros ſcriptores ad alcali vſque decoquet, & in reuerberatorio vſque ad extremas fæces comburet,* Vulcanus vero ſulphur, picem, ac olium infundet, &c. Reliqua ſynceris auribus ne ſim offendiculo, non ſcribo, vtut præclare qui dixerunt male habeat, noſtri tamen æui ſapientiores, & experimentis confirmati Paracelſum liberum integro placito demittunt ad ciniſloniam & xenodochium: & ne quis putet me morbo quodam animi abreptum, qui conſto mente: maleuolentia incitatum, qui miti ſum ingenio: aut repræhendendi nimio ſtudio incitatum, qui veritati ſtudeo, male velle Chimicis & Paracelſo, quorum ſum opera in pluribus vſus, &

vtor vbi ratione illi videntur vti. Audi Ioan. Cratonis, etiam Alemanni de huius farinæ hominibus iudicium, ait: *Turpiſſimam Paracelſiſtarum impudentiam, & fingendi, mentiendiq; effrænatam libidinem vtinam principes viri cohiberent: ſed in delitiis apud quoſdam eſſe, & impune illos doctis maledicere, iis malis quæ rebus bonis ruinam minantur, annumerandum.* Hæc ad inſtituti noſtri præfationem & Quercetani eam dicta ſint ſatis: cuius reſponſionem ad eam Auberti repercutere propoſuimus, & qui metallicam naturam è latebris ſuis eruere conamur, omiſſa definitione, & numero, de quibus fere conuenit Chimiæ cum philoſophis, medicisque phyſicis, & ſi quid ſit prætermiſſum in examine diuiſionis percurremus, vt & ortum.

Omnes philoſophi, vt etiam Geber libr. 1. Summæ cap. 11. ſecundæ partis, & qui de natura foſſilium verba faciunt, metalli nomen diuidunt, quod genus eſſe putant, in ſuas ſpecies, plumbum, aurum, æs, ſtannum, argentum, ferrum. Huic menti arridet Augur. Chryſ. lib. 1. alibi tamen ait omnia metalla vnius & eiuſdẽ eſſe ſpeciei. Quercetanus in reſponſionem ad Aubertum aſſerit diuidi in perfecta & imperfecta, cui quoniam reſpondere nobis eſt in animo, ne fruſtra Aubertum vita functum habeat, Aurelio relicto, qui nil dicit, nil non dicit, Quercetani veſtigiis placite inſiſtere liber. Nos dicimus, ſingulis metalli ſpeciebus, puto plumbo, auro ſua eſt eſſentialis forma, & ea perfecta: regerit, quædam feruntur à ſua forma in aliam; ſic ouum eſt perfectum: & ratione pulli termini ad quem, eſt imperfectum, ſic metalla ex ſe perfecta dum nituntur, vt ſint aurum, in quod euadunt aliquando, imperfecta ſunt, & in fieri: ſed ſi nunquam induit aurum aut plumbum, aut ſtannum, &c. ac mecum ſentiunt cõtra Chimicos, Agricola, Eraſmus (quem buccinatorem Paracelſi Quercet. ponit) & alii, fruſtra poſuerit hanc metallorum

tallorum diuiſionem, & ſi vnum in aliud abit, erit in indiuiduo hoc vel illo ouo, non in ouo ac ſpecies eſt: ſed plumbum ſpecies eſt. 1. quia vniuerſale nomen. 2. prædicabile, aliis enim vocibus explicandis attribuitur. 3. dicitur de pluribus numero differentibus. 4. eſt commune nomen proximum indiuiduis, quo anguſtiora declarantur. 5. occurrit ſemper in definiendo indiuiduo hoc vel illo plumbo. Indiuiduum enim eſt, quod exprimitur per pronomen hic, hæc, hoc. 6. occurrit metallum plumbo in definitionem, vt illius genus: & quod de plumbo dixi, de ferro, ære, auro, argento, ſtanno dictum ſit. 7. hæc iam dicta nomina cõtinentur ſub eodem genere, & non ſunt ſubalterna. 8. continentur ſub diuerſis differentiis diuidentibus idem genus. 9. habẽt diuerſas definitiones, igitur ſpecie differunt. 10. & eadem ſunt genere. 1. quia participant idem genus. 2. metallum ponitur eſſentialiter in horum definitionibus, &c. Sed diuerſa genere logico ſunt. 1. quæ ſub diuerſis ſunt categoriis, id eſt, cum vnum ſignificat quid eſt, aliud quale quid, ſed ſpecies metalli, ſubſtantiæ categoriæ omnes damus: eadem ſpecie dicuntur teſte Ariſt. 5. metaph. quæ opponuntur illis priorib. iam dictis modis: quare, ac dixi, plumbum ſpecies eſt, quæ non aliam ab ea quam habet ſubſtantificam anhelabit formam, quia contentum eſt ea definitione, eo genere, & iis indiuiduis quæ poſſidet: tum quia ſpecies in ſpeciem non abit, neque indiuiduum huius ſpeciei in id alterius contra Gebrum, ac infra fuſius patebit: quæ poteſt natura; ea facit remotis obſtaculis: erunt tunc aliquando omnes metallorum ſpecies, aurum: in æternis poſſe & eſſe idem ſunt, & æterna eſt metallorum ſpecies, ac ipſum genus æternum: nec comparatio ad ouum recipienda eſt. 1. quia Quercet. non meminit differentiæ inter principia compoſitionis, & tranſmutationis, debuitque prius aſſerere, tranſmutationis eſſe elementa metallis, ſeu

materiam primam (vt chimice cum ipſo loquar) quã ea cum oui viuificatione componere. ſed hęc res quia prorſus inutilem reddit hominis comparationem, aut eam malitioſe ſubticuit, aut quod eſt veriſimilimum, ignorauit. 2. quia natura ad hos vſus in ſingulo format ouũ, vt ſit in fieri ad generationem pulli, & quod viuens animal ex inſenſili: ſed metalla aliam præter ęam quam habent, induere, aut acquirere poſſe formam præſtantiorem, mecum negant qui ſapiunt omnes. non naturaliter aliam acquirunt, quia natura id ad vmbilicum deduxit, quod & potuit & voluit in ſua ſpecie, perfectum æs, ſtannum, aurum, &c. Et ſi quando indiuiduum corrumpit, vt forte eius materiem alteri adaptet, ſi eiuſdem ſpeciei, vt eſt credibile, vis enim ſeminalis ſemper in materia delitescit, ſane ſemper ab eadem ſpecie petitam formam: & huic opinioni fauet Ariſt. 2. de ortu: alioqui ſpecies rerum ortu & interitu cõfunderentur, ſed generabilia eadem ſpecie reuertuntur, inquit Ariſt. Non chimice, ars enim eſt chimia, quæ naturæ ancillatur, ait Quercet. & Richardus Anglicus correctorii chimici, cap. 1. Hoc ita interprteatur, ars naturam non tranſcendit faciens nouam naturam per ſimplicem laborem, ſed eius naturæ virtutem ſubtiliat, non ædificat nouam, ſed ſubtiliatio non mutat rem vnius ſpeciei in illam alterius, vti natura non mutat: Si ergo naturæ non eſt datum ſpecies rerum generatione & interitu confundere, neque ſane imitatrici Chimiæ hoc concedimus: adde chimiſta in ſubterraneis non eſt, qui metallorum adſit efficientiæ, & ſi adeſſet, formæ non ſunt penes eum, nec eliciendi vis, quas materiæ ingeras, aut quas ex materia euocet pro libito, quæ aliam denuo adſpirent nobiliobiliorem, cum ſolius ſit primi agentis formis informare rudem materiam (ſic Flamellus in annotationibus Chimicis ait: *forma metallorum á cœlo eſt*) non ars in ciniflonìis, quia elicere ex materiæ potentia aut no-

uas

uas aut digniores formas non eſt artis,ſed naturæ,alioqui aut artifex erit natura, aut habeat promtuarium apud ſe formarum neceſſe eſt: at formæ corporibus vacuæ tantum abeſt,vt penes nos ſint,vt etiam ſi ſint apud primum motorem, an potius eas quotidie effingat,non ceſſarunt hactenus dubitare philoſophi. Præterea Philoſophus ait 4. meteor, quem ſequitur Auicenna, invanum operantur Alchymiſtæ metalla perficere conantes, niſi reducant illa in materiam primam. Quid his reſponderint Villanouemus & illi diſcipulus Lullus feliciter refutauit ſine me Zacharias Gallus 2. parte opuſculi ſui Chimici, & non poſſe fuſione, & proiectione lapidis mirabundi ſuper metalla,hæc corrumpi,& nudari prima ſua forma, vt motu corruptionis aliam induant: ipſe Zacharias deinde reſpondet Philoſophorum placito, eſſe intentionem Chimiſtarum,vt imperfecta perficiant metalla in aurum præter omnem transformationem in materias nouas, & à propria ſua natura differentes, vt purgent & mundent per operis diuini,id eſt,occulti proiectionem, & ſic haudquaquam eſſe opus metalla reducere in materiam primam: ego his, iſta proiectio aut purgabit, & colorem duntaxat materiæ dabit inexiſtenti in metallo,puto plũbo, & ita in impoſturæ incident impudentiam, quam multis damnat Treuiſanus 2. parte libri Alchimiæ: *Fugite*, inquit, *ſophiſticationes Alchimiſtarum nequam, & quoſcunque alios, qui iſtis fidem adhibent*: item, *ſophiſticationes omnes fugiendæ ſunt, item, ſublimationes, coniunctiones, ſeparationes, congelationes, præparationes, diſiunctiones, connexiones, aliæque deceptiones omnes: aut vt mutant materiæ immanentis colorem, etiam nouam indent formam, & hanc corruptione & expulſione prioris, quod eſt ſolius naturæ opus: aut eadem materia ſibi ſimilis duas habebit formas ſimul*, ſed ait ibid. Treuiſ. *impoſſibile eſt vnam & eandem mate-*

riam habere duas formas: aut aliquam impreſſionem imprimentin naturam & eſſentiam puto plumbi, ſed vt forma patiatur ab adueniente extrinſeco, corruptione per motum opus eſt: hęc inferet nolint velint Chimici reductionem in materiam primam, ſic eò rediit res, vnde digreſſi ſumus. Sed alioqui inquit Zacharias, cõcluderetur omnia ſemicocta, reducenda eſſe ad primam materiem vt complete decoquantur. quam belle compoſita ad ignauiam reſponſio! non enim poterit humidum oui condenſari, niſi mutet cum nomine eſſentiam? caro bouilla ſemicocta perfici plena decoctione, niſi in ouillam abeat, quæ materia, & genere conueniunt? niſi in ſua elementa hæc reducantur? Proinde fateantur Chimici decoctionem naturalem, eſſe efficientiam, digeſtionem, & coniunctionem materiei cum forma, proportione obſeruata, & partium vnione debito ordine, quam ſi Chimici aſſequuntur, certe in noſtram venerunt herbam, & proiectione lapidis diſſoluitur metallicum corpus vnum in ſua elementa, quæ denuò coëunt operatione adueniętis nouæ formæ, quam ipſi nouæ rei indunt, vt ſit aliud: aut decoctione artificiali imponere materiei illis conceditur.

Sed vrget Dyoniſ. Zachar. elementa cum qualitatibus ſuis ſibi mutuo contraria ſunt (teſte Ariſt. 2. ortus) in ſe etiam conuertibilia erunt, quanto magis ipſa metalla, quæ ſunt vnius & eiuſdem ſubſtantiæ, materiæque, cum non ſint qualitatibus contraria, conuertentur hoc in illud facilime, quam ob cauſam Hermes procurationem ipſorum circularem, at improprie quodammodo, quia non ſunt ad eum finem à natura procreata, vt ex perfectis fiant imperfecta, ſed contra, quapropter eatenus non eſt eorum generatio prorſum circularis, niſi pro parte. Quem per deos huic

huic opponam idioticæ infantiæ athletam? ſenſum proculdubio, is docet alias ineſſe auro, alias plumbo qualitates,& contrarias. experientiam, hæc docet medicinæ ex ære aliam ineſſe curationem,quam illi ex auro. Nicolaum Flamellum Chimicum, is ait aurum eſſe calidum & ſiccum: plumbum humidum & frigidum. Paracelſum, qui vt alibi doceo, prorſus circularem fatetur mutationem metallorum: rationem,nam omnia metalla ſunt perfecta,quodque in ſua ſpecie,quia conſtant ex materia & forma: & forma definitionem cuiuſque rei concludit: & quibus eſt definitio, ea & perfecta ſunt:ſed non ſint,tamen cum generatio omnis ſit à non ente ad ens, id eſt, ab imperfecto ad perfectum, vt vbique de ortu Ariſt. ſi ex auro fiat plumbum, erit à non ente ad ens, atque ita perſuadeo hanc hominis inductionem eſſe rimoſam. Sed ſit quam ipſe ponit circulatio, certe ad hanc mutationem, metalla prius reducenda ſunt in ſulphur & Mercurium. Inquit enim Flamellus in excerptis ex antiquis authoribus, vt quodlibet corpus tranſmutabile in quamcunque ſpeciem tranſmutetur, ad primam reduci materiem neceſſe eſt, cum ratione materiæ paſſibilis ſit tranſmutatio,vt ait Ariſt.4. Meteoror. de ortu: & Phyſic. & quicunque aliter operantur cum lapide, deceptores ſunt: ait & iterum, definitio huius philoſophiæ eſt corporis diſſolutio, & animæ à corpore ſeparatio, vt tinctura in corpus ſeſe inſinuet: & ex Villanouano aqua philoſophorum metalla diſſoluit, & magno naturæ conſenſu ea in primam transfert materiem, & ex clangore in aqua philoſophorum latet ſpiritus quintæ eſſentiæ, cuius ſolius eſt magiſtraliter corrumpere, & in ſuam primam materiam transformare metalla: deinde Mercurius & ſulphur in quatuor elementa neceſſario reducuntur, poſtmodum elementa rurſus in ſulphur & argentum viuum, vt fiant proxima

materia metallica, quæ ſtultitia quæſo hæc eſſet, ait Treuiſ. cum hæc omnia ſint vnum, idem, & eadem ſubſtantia, quæ nouam non acquirit inde naturam, neque materiam ab eiuſmodi reductionibus, at ſolum manet quod antea fuerat: Ecce quam belle iis conuenit inter ipſos: ſed aliter Flamellus atq; Zacharias Hermetis verba proponit, inquit enim in excerptis ex Democrito, quemadmodum quatuor elementa in ſe ipſa tranſmutantur, & fiunt quod non erant, cum eorum ſubſtantia ſubſtantiæ non ſit contraria, ignis fit terra, & terra fit aqua, & aqua aer, & rurſus aqua terra, & à terra vſque ad ſuperiora, & in ſeipſa mutata, & ſoluta omnia operantur: qualitates enim ſibi ipſis contrariæ ſunt, non ſubſtantiæ, ſic etiam, ait, ſed pluribus, fit metallorum mutatio vnius in aliud: ſed comparatio iſta vana eſt.

1. Quia dicit alibi Flamellus elementorum ſeparatio non fit in opere noſtro.

2. Si omnia quæ ſubſtantia eadem ſunt, qualitatibus contraria, tranſmutari poſſunt, Petrus aliquando erit Ioannes, &c. non minus ad plumbum aurum.

3. In elementorum transſubſtantiatione perditur vnius forma vt alterius acquiratur, ſed ait Geber in Summa, ſcientia noſtra per diuerſa non perficitur, at ſolum vnicam rem, cui nihil addimus nec diminuimus, ſed ſuperflua tantum remouemus præparatione: & Arnald. Villan. in Roſario magno, impoſſibile eſt, ait, primas formas dare.

4. Metalla tantum differunt ratione perfectionis & imperfectionis dicunt Chimici, ergo eadem erit omnibus forma, hoc conceſſo non erit metallorũ tranſmiſſio ſimilis illi elementorum, in quibus & diuerſæ

ſunt

ſunt formæ, ita in tranſactione eſt formarum vt agens vis, ita & perditio. Sed ſi dant vnicuique metallo ſuam formam, vt ſubſtantiæ eſſentiam nullum accidens explere poteſt: ſic neq; poteſt illa rerũ οὐσιώδης, id eſt, vt loquuntur, eſſentialis differentia ex accidente conſtitui, id eſt, perfectione, imperfectione ac loquuntur Chimici: Si obiecerint mihi aut Galeni, aut Alexandri Aphrodiſei iudicium de elemẽtorum formis, dico cum Auicenna, quia nobis ignotæ fere ſunt rerum eſſentię, & quia non ſunt ſua formis impoſita nomina, eo factum eſt fortaſſe, vt illi viri elementorum formas propriarum, & inſeparabilium qualitatum nomine appellauerint. Et ſi indiuiduis omnibus ſub vna ſpecie deliteſcentibus, cuique eſt ſua forma, ac eſt, ſane Chimici formæ iniurii ſunt, qui illi ſuas partes non tantum negant, ſed & accidentibus longe à natura remotis impertiunt. ſed quis per Æſculapium, per Ariſt. genium eo contentionis & amentiæ præter Chimicum proceſſit, vt dicere auſit, metalla maxime diſſidentia corpora ſolis accidentibus ſeiungi, quorum aliquorum particulæ ſpecie, & eſſentia, non ſolis accidentibus diſſident.

5. Metalla à lapide perficiuntur ſola ſulphuris conſumptione, & eiectione ex viuo argento, & ſic ars imitatur naturam, quæ ita in mineralibus perficit metalla inquit Zachar. parte. 2. opuſc. Sed elementorum materię permanenti inditur noua forma: Concludo igitur non eſſe ſimilem metallorum tranſmutationem illi elementorum, & per conſequens non eſſe vllam reductionem imperfecti ad perfectum in metallis. His fautor eſt Augur. Chreſ. lib. 2. *arte* inquit *Chimica non poſſunt ſeparari elementa ab ſe inuicem ex corpore aliquo, non enim poſſunt elementa ſimplicia videri, comprehendi Chimicorum iudicio, tangi, aut vaſibus includi*. Ea eſt enim elementorum natura, vt nullo vaſe accipi poſſint, nedum contineri, non etiam adamantæo, quin cõtinuo,

ſi etiam accipi poſſent, ruptis retinaculis euadant: nec ex corporibus poſſunt eliceri, & qui iſta meditatur eſt naturæ refractarius, quæ ſemper cogitat qua ratione hæc potius confundat, & miſceat: corrumpit quidem mixtum (aliter ad hæc Galen. lib. 1. De element.) non tamen diuidit in ſua ſimplicia, ſed hanc ſibi vim reſeruat, vt ex corpore corrupto generet aliud meliori partium conſonantia factum fabre: fucare, reliquum eſt, poſſe Chimicos metalla, & fucum eſſe metallorum diſtributionem in perfecta & imperfecta: aut non minus concedant boues & aſinos in Chimicos abire poſſe, quia continentur ſub eodem genere, & differunt ſecundum perfectum & imperfectum: & ſi hanc aſinorum metamorphoſim anhelat natura, ad eam aſpirare tamen debet, vt quæ nobiliorem ſemper tenetur anhelare finem. Sed vicaria ars, quæ natura pro derelicto habet, perficiat quæſo, & omnia Arcadiæ pecora in Chimicos conuertat, qui tandem numero freti iubeant exulare medicos cum philoſophis, qui diem perfectioni & imperfectioni Chimicæ dixerunt. Cum diuiſio in rebus, quæ ſub eodem genere ſunt à forma petenda ſit (à forma enim res omnis vt eſſentiam, nomen & genus mutuatur, ita hæc ab illa dirimitur) ſi metalla in perfecta & imperfecta diuidantur, ſubſtantia inueniet apud Chimicos, quod nuſquam hactenus, magis & minus & accidentis nomen: ſed reſpectu ad ſe inuicem metalla erunt alia aliis perfectiora: ſic etiam comparata eſt illa animalium conſtitutio, vt aliud alio ſit ſagacius, pulchrius, &c. non tamen dicimus ideo animal in ſuas ſpecies perfectũ & imperfectum diuidi: ſed materiei cauſſa digeſtæ vel indigeſtæ placuit diuidere metallum: Cum ſuppetat in hanc rem felicior diuiſio formalis, quorſum iſta vicaria? & ſi huius vſus ſit aliquis, docendi ratione ſit, non tamen niſi expoſita priori exierit, quam Chimici ac inutilem & abſurdam æternæ commendant obliuioni: neq; ego apud Philoſophos

inuenio

inuenio materiæ cauſſa hanc illi rem præſtare, vt quæ tota ſit rudis & impolita, ſed agentis & efformatoris ergo: agit & copulat cum materia formam primum agens, polit ruditatem materiæ forma, à forma igitur perfectio erit, ſed imperfectio fateatur materiem: ſic partim à forma, partim à materia erit Chimicorum diuiſio deprompta, ſecus ac ſperarunt. At ſi materiem per ſe conſiderent, dedecus nullum dat natura, dedit materiam, perfecta eſt igitur, & materiæ cauſa, quare-nus talis, perfecta ſunt metalla: digeſtio, indigeſtio, completum, incompletum, & ſi quid huiuſmodi, combinationis ſunt virtutes, ſunt vitia, non materiæ per ſe, non formæ. Sed ideo in perfecta & imperfecta diuidũtur metalla, quia Chimia ita in operatione procedit ab imperfecti plumbi transformatione ad perfecti auri affictionem: ſecus tamen ſi res ſe habet, manus dabunt ſpero. Bachonus ait cap. 3. ſpeculi Alchymiæ, *Lapis ſeu Elixir eſt millies milleſies fortior & perfectior quam ipſa corpora ſimplicia*, puto metalla, *caliditate naturali decocta, & tamen ego dico ab lapide perfectiſſimo ad auri efformationem imperfectioris procedere Chimicos.* Quare & præpoſtero ordine lapidem perfortiſſimum faciunt, vt imperfectius aurum, tanquam finis Chimiæ inde reſultet, & falſa erit metallorum diuiſio in perfecta & imperfecta, cum fini artis non reſpondeat.

Si Agricolæ placuit auri colorem reſtituere natalibus, nobilitare pondus, ſaporem, ſplendorem præ cæteris, voluptuaria ea eſt diſceptatio auarorum hominum, non Spartani, qui ferrum auro antecellere multis probabit: Et Paracelſus lib. 2. cap. 2. Paramiri idem aſtruit, ait enim, *nobis affirmandum eſt, vniuerſas res eiuſdem eſſe valoris, carbunculum non præſtare topho, pinum non eſſe cypariſſo deteriorem, quod verum eſſe probat naturæ lumen. Qui primo tum argento aurum prætulit, fecit id auaritia: nam æque magnum eſt argento tributum donum ac auro:* en plura Paracelſ. quam ego dicere audeo,

qui dico, naturam vnum præ alio metallum non admirari, non colorem, non ſaporem, non pondus, vt quibus ſit communis parens, & quam progeniem agnoſcat pro ſua, & vt expreſſam in ipſis videt ſuam imaginem, dixit omnia quæ genuerat eſſe valde bona. ſed qui eſt hominum naſus hos meliores probat, & palato ſuo non conuenientes dedignatur ſapores, odores ac ſordidos & triſtes. Et Agricolæ reſpondebit Plinius lib. 33. hiſt. nat. cap. 3. *Præcipuam gratiam*, ait, *auro fuiſſe arbitror non colore, qui in argento clarior eſt, magisque diei ſimilis, & ideo militaribus ſignis familiarior, quoniam is longius fulget, manifeſto errore eorum, qui colorem ſyderum placuiſſe in auro arbitrantur, cum in gemmis, aliisq; rebus ſit præcipuus: nec pondere, aut facilitate materiæ prælatum eſt cæteris metallis, cum cedat per vtrumq; plumbo, ſed quia rerum vni nihil igne deperit.* Sed & hanc temerariam Plinii mentem certæ experentiæ plane contrariam refutat, vt alibi doceo, Paracelſ. tractat. 2. cap. 1. lib. 2. de morb. metallic. Et Bellonus rerum memorabilium, lib. 1. cap. 50. longe alia ratione auri puritatem demonſtrat. inquit enim, *eſt in ſua qualitate aurum puriſſimum, non in materia, non in quantitate, non in arrugia, vt quod cum excrementis ſibi propriis coagulatur, & quod ſola artis coctione purum fit.* vide plura cap. 51. & 52. Audi & Galeottum Martium de doctrina promiſc. cap. 28. Sed & æs auro præferimus, quod grammatici metallum per excellentiam vocant, quia idem eſt aer & æs: nec coalitio vocalium nos turbet. Sæpe enim ſoluitur, vt aulai: coaleſcit vt fixerit æripidem ceruam, pro aëripidem dixit Virg. Tum *s*, & *r* inuicem ſibi cedunt, vt labor, labos; honor, honos. Secundo omnibus aliis canorius eſt metallum propter occultos & raros meatus aerem plurimum in ſe continens. Merito igitur huic eleméto nomen elementi ſine quo vox eſſe non poteſt, damus, cum reliqua huius comparatione ſine voce ſint. Tertio, alia metalla habent ſua nomina,

huius

huius cum elemento propter eius præſtantiam confunditur: & apud Romanos vſq; ad bellum Punicum primum æs ſolum in pretio eſt habitum. Quinq; enim annis ante id bellum, argentum primo eſt ſignatum bigarum & quadrigarum nota, anno vrbis cōditæ quingenteſimo octuageſimoquinto, atque anno poſt ſecundo & ſexageſimo numus aureus percuſſus eſt. Ecce tibi æris honori etiam fauet vetuſtas, quod Seruius Tullius primus nota pecudum ſignauit, vnde & pecunia dicta, cum antea ſemper ære vterentur, licet rudi. Sed morbis placet aurum dicit Luercet. Hos etiam vel rubigo ferri iuuat, bracteola plumbi ſanat, attritum æs curat, argenti ſpuma domat, ſtannum amicat. Crocus Martis ſi Luercet. credere velit magiſtro ſuo Paracelſo, eadem prorſus efficit quæ & auri tinctura. Et Penotus Londrada à portu ſanctæ Mariæ Aquitanus, ait in tractatu quatuor rerum Chimicarum, *Philoſophorum Saturnus eſt proprie marchaſita plumbi, & reuera excellit ſolem & lunam, ita vt Raymundus dicat, in hoc orbe inferiori non eſſe tantum arcanum atque id, quod in plumbi marchaſita conſiſtit:* En aptiorem medicinam morbis ex plumbo, quam ex auro, & Chimico id atteſtante. Sed ſint alia aliis præſtantiora metalla, non tamen vt ſordida in puriora aliquando euadant: ita à natura comparata ſunt voluit aliquando natura vires ſuas oſtentare mundo in rei alicuius excellentioris fabrica, ſed ad oſtentationem diuitiarum & poteſtatis ſuæ, non cuiuſuis tranſelementationis ergo. Denique & non ſolum ad opinionem, ſed etiam ad veritatem ſibi perſuaderet homo, nihil naturę eſſe illo charius, in cuius præſtantiſſimi gratiam hæc quæcunque ornatiſſima ſunt, formauerit: & iſta ad diuiſionem dicta ſufficiant.

Reliquæ ſunt tres partes, prior de metallorum materia, altera, de cauſa efficiente, tertia, de eorundem tranſſubſtantiatione: vbi de perfectione & imperfectione plura.

Materia proxima animalium eſt aruum genitale, quod videmus: vegetabilium, ſemen, radix, ramus, ſurculus, & hæc viſui ſe offerunt: inſectilium multorum putrida materia, non quæuis, ſed ea duntaxat, in qua ſui quoddam ſeminarium habeat res efformanda; ſi Ariſt. & Philoſophis credimus. Aliis qui de ortu foſſilium verba faciunt horum materia, erunt vel halitus & vapores, vel terra & aqua, vel aqua perpeſſa, vel halitus craſſus, qui in fodinis aliquando ita craſceſcit vt foſſoribus liberum impediat halitum. Chimici Mercurio & ſulphuri primas tribuunt, ſed quæ in ſua natura, actu, & per ſe (ſecus ac videmus in omni aliarum quas mundus habet rerum materia proxima) in fodinis negant reperiri, & merito: quod enim non eſt, quis inueniet? eo tamen conclamatæ inſaniæ obſtrigilandi abduxit ardor, vt eadem concedat Paracelſ. principia proxima homini, cap. 2. libr. 1. Paramiri, quæ cum reliqua mundi ſupellectile dat metallis imperfecte mixtis, ſcilicet, qui damnarit quæcunque mundus habet ad metalla, ſpretis quibuſcunque mundus dixit vnquam aliquid ineſſe ſapientiæ, prælatis quibuſdam ſacrificulis Teutonicis, quorum vt nomen, ita & facta habet æterna obliuio. Sed & hoc habeo vbiuis gentium in Paracelſo, quod obiiciam Chenæo noſtro, tria eſſe metallorum, vt reliquarũ rerum omnium principia, ſolem ſulphur & mercurium, *vide cap. 2. tract. 1. lib. 2. de morb. metall.* Iam ſi confirmatione mutuata à me hæc metallorum principia à phyſicis egeant, ipſi authores Ariſt. Agric. Scalig. Schegkius & alii, quærentem docebunt, mihi enim ſatis ſit principia à multis retro ſeculis accepta & comprobata, contra Chimicos admittere, cum reipſa quidem quæ Phyſici ponunt, Chimici admittant, ſed nomine aliquando alia, ne cum omni ſeculo, at ſibi ſapere videantur: aperte quidem 1. Chræſ. ait Augur. vapores ſunt materia ſubiecta metallorum. Quid enim eſt Chimicis argentum viuum niſi ſubtilis

aqua

aqua & terra? & vaporis nomine hæc duo includit Ariſtot. quid ſulphur niſi pinguis aer, terreum ſubtile in terra à calore coagmentatum? vt Augur. Titelm. & Melanthon. verbis vtar, & hæc halitus nomine profert Ariſt. & Richard. Anglicus, ſulphur non eſt niſi vapor calidus & ſiccus: & cum Chimici non hoc quod habemus quotidie præ manibus ſulphur aut argentum viuum ponant metallorum principia, ac diximus, ſequitur mutatis tantum vocibus ea ipſos intelligere foſſilium principia, quæ cum philoſophis agnoſcunt medici. Et Paracelſ. quaſi ſui oblitus quod Philoſophi aquam perpeſſam nominant, ille liquorum: & quod Chimici ſulphur, Luercet, vocat halitum ſiccum: & ex halitu ſicco cum liquore fieri metalla dicit Titelm. de mineral. cap. 1. *Foſſilium materia*, inquit, *eſt tum vapor, tum exhalatio, nam metallica fiunt cum vapor in terræ meatibus incluſus ob lapidum ſiccitatem quos illic offendit, conſtringitur in arctum, & a frigore denſeſcit, vnde fit, vt potentia ſint aqua, quanquam cum vapore mixtam habeant exhalationem.* Hoc iam habemus quatuor elementa, id eſt, ac Flamel. in annotationibus Chimicis dicit, terram & aquam (quæ Chimici Mercurium vocant) aerem & ignem (quę ſulphur adpellant) eſſe metallorum materiam proximam: his ſubiungit Paracelſ. lib. de creat. hominis, omnes res corporales quæ ſub cœlo ſunt, ex quatuor elementis conſtant, & in eadem diſpergentur & reducentur.

At ſi Chimici his non contenti dicant quatuor elementa abire in vapores & halitus Philoſophorum, deinde hos in Mercurium & ſulphur, vltimo & hæc in metalla: occurrere huic temeritati conuenit, & docendi ſunt hydrargyrum & ſpiritum, ac ipſi intelligere volunt, videri non eſſe primam, vt ipſi loquuntur, materiam metallorũ, vel Gebero teſte, qui ait cap. 26. lib. 1. Summæ, parte 2. *Non inuenitur in mineris argenteis, vel aliorum metallorum aliquid, quod ſit viuum argentum in*

natura ſua, vel quod ſit ſulphur quod illi prædicant, at aliud inueniunt commune hydrargyrum in ſua propria minera, & propria natura, vt & ſulphur. Secundo aiunt non eſt tranſitus à contrario in contrarium niſi per diſpoſitionem mediam, ergo non eſt tranſitus à mollitie argenti viui ad duritiem alicuius metallorum, niſi per diſpoſitionem quę eſt inter duritiem & mollitiem: ſed in mineris non eſt quod huic diſpoſitioni faueat, quare conuenit credere naturam non ſubſternere argentum viuum & ſulphur in materiam proximam metallis, ſed aliud eſſe quod ex horum alteratione fiat. Perficitur ita res tota, prius in terream naturam abeunt hydrarg. & ſulphur: ex ambabus terreis naturis reſoluitur fumus tenuiſſimus à calore multiplicato in viſcere terræ, & hic duplex fumus eſt metallorum materia immediata: hic fumus cum á calore temperato mineræ decoctus fuerit, conuertitur in naturam cuiuſdam terræ, ideoque fixionem quandã ſuſcipit, quam deinde fluens aqua per corrugos & mineræ viſcera, & terræ ſpongioſitatem diſſoluit, & ei vniformiter vnitur vnione naturali & firma: hæc mixtio per ſucceſſiuam decoctionem in minera, inſpiſſatur, & induratur, & fit metallum.

En Chimicis oppono neotericis optimum in arte magiſtrum, cuius rationi iuniores aut obuiam eant, vt puta pura ipſis remaneant Mercurius & ſulphur, aut communem ineant cum Philoſophis cõcordiam, vocum ambiguitate in medium depoſita, quam ego ex hac diſceptatione aſſequutum me arbitror. Non igitur tanti ſunt vocum innouationes vbi communi vſu trita ſunt aptiora & rei accommodatiora vocabula. At ita placuit Chimico his tegumentis furtum ſuum diſſimulare, aut celare homines toti orbi prædicanda, ſi vtilitati publicæ vnquam arbitratus eſt ſua ſeruire poſſe.

Sed quam ſuæ rei conſentientia ponant fundamina adhuc non pigebit pauliſper examinare. Gal. de opt

ſect

ſect.ait,omne theorema in quacunque arte, 1. Verum eſſe debet. 2. vtile 3. iactis principiis conſentiens: aurum illi dicunt ex ſulphure & argento viuo conſtare,& principia inſunt vt partes in eis quæ conſtituunt, Gal. lib. 1. de element. Sed auro iam perfecto, & à natura concocto ineſſe ſulphur Chimici negant, vel hac ratione, quod vni rerum nil deperit auro, igne: cætera autem mineralia perimit, denigrat, alterat, comburit ignis propter admixtum ſulphur. Deinde Paracelſ. lib. Paragr. cap. de philoſ.& alibi paſſim ait, *Omnia metalla conſtant ex mercurio, ſulphure, & ſale.* Quare aut Paracelſus aut Luercet. infirmat fundamen artis, dum ille tria, hic vnicum det metallo principium: non eſt vtile hoc de auro theorema, 1. Quia repugnat principiis, ſi enim ſubſtantiæ elemẽtorum, vt Gal. ait. 1. de element. & ibid. Hippoc. re corrupta reuertuntur ad propria elementa,& elementa proxima metallorum ex Chimicis ſunt ſulphur & argentum viuum, ſane quod in auro non eſt ad ſua elementa reuerti nequit. 2. toti medicinę hoc fundamen eſt inutile, cum curā reddat incertam, & ab æuo condito probatis medicamentis diem dicat, vt venenata aſtruit, quorum halitus etiam cum in mineris ſuis homines iugulat, quid efficient deuorata? 3. Ipſis Chimicis eſt inutile, ait enim Paracelſ. cap. 4. tract. 2. lib. 2. de morb. metall. *Accidit omnibus Alchymiſtis, qui ſe in igne oblectant & exhilarant, quod ad extremum omne in luctum vertitur: ignis enim multo ſubtiliora venena contra eos euomit, quam mineræ: ſic nocuit fabricanti vacca Peryllo.* 4. Toti orbi eſt damnoſum, vel teſtimonio Vidami Chartrenſis, Comitis Treuiſani,& Zachariæ Pariſienſis, qui his principiis Chimicis perſuaſi fecerunt iacturam, vt fortunarum ampliſſimarum, ita ſolum verterunt duo poſteriores, vt primus apud ſuos deliteat egenus: Ex his diſce alios innumeros: Sed primæ inutilitati dicent, neq; dum interit gallina, redit ad ouum ex quo fit, dico aliud eſſe

elementum tranſmutationis, vt ouum ex quo gallina; ſemen ex quo homo: aliud compoſitionis, vt ſulphur ex quo aurum, & in quo ſicut debet remanere vt pars, ita intereunte auro tenetur ad ſua migrare: Et hic eſt quod adhuc ex Gebro dicam, inexiſtere auro ſuum primitiuum ſulphur, & nō ideo nihil illi per ignem decedere, quod non habeat ſulphur, quin potius reſiſtere Vulcano, quia habeat admixtū ſulphur. Vide Gebrum in Summa, vbi de compoſitione metallorum verba facit, vt neotericos Chimicos aut falſi conuincas, aut omnes contraria dicentes arguas. Vide Paracelſ. tract. 2. cap. 1. lib. 2. de morb. metall. qui ſulphur cum Gebro ſemper inexiſtere vt auro, etiam reliquis metallis affirmat, vt intelligas quam inepte à magiſtrorū fide tranſitionem fecerit Chenæus, & ſi qui illi ſimiles alii. Statuamus iam Chimicorum ſulphur, & argentum viuum eſſe philoſophorum vapores & exhalationes, ſeu vaporem craſſum, vt Luercet. verbo vtar, eſſe hydrargyrum, cum in ipſum tandem metalla reducantur: Et Chimicorum viſcoſum limum, coagulum ſulphureum, ſalem, liquorem, Philoſophorum eſſe aquam perpeſſam, aquam limoſam, halitus ſiccos, vapores craſſos: Inquit enim Titelm. omnia metallica potentia ſunt aqua, quanquā cum vapore mixtam habeant exhalationem.

Si obſtrepant adhuc Chimici, hoc vnum addo: nihil quod eſt nuda potentia in mineris eſſe poteſt materia proxima metallorum: ſed omne Chimicorum hydrargyrum, & ſulphur ſunt in mineris nuda potentia: nullum igitur hydrargyrum & ſulphur ſunt materia proxima metallorum: Prior omnium Philoſophorum eſt vox concors: aſſumtio omnium Chimicorum eſt certum placitum. Nunquam enim actu in mineris ſua viderunt, aut ponunt principia. Reliquum eſt, vt aut aſſertioni priori meæ faueant, aut recte illatam, & neceſſario concludentem euertant concluſionē, quod qui fecerit, erit mihi magnus Apollo.

Huic

Huic conſentienti hominum opinioni, ac graculus inter Muſas, obſtrepere mihi ſi liceat, quod dicam ad aurem habeo omnibus, qui vnquam hactenus de concretione materiei foſſilium ſcripſerunt: vidi, & videre eſt in cauernis montium petroſis, & antris littoralibus obuiam aquam pellucidam, tenuem, limpidiſſimam, ſtatim atq; per canalem peruii ſaxi euaſerit, dureſcere, & concreſcere in lapidem, atq; terram ex alto cadens gutta attigerit. Sic Plinius refert cryſtallum ex concretione ſolius aquę generari: ſic marmor fieri audiuimus etiam in Scotorũ Sutherlandia. Sic videre eſt lapides, ſeu tegulas in Morauia Scotiæ, quæ igne querno diſſoluantur in liquorem; ſic Geber vbi ſuam, in Summa, de concretione metallorum ſententiam profert, aquæ primas partes tribuit, & frigori: ſic modo Titelm. dixit omnia metalla, potentia eſſe aquam, quoniã in eam tandem euadant.

Quis hic mihi iam in metallorum ortu vapores craſſos, viſcoſum limum, & coagulum ſulphureum obiiciet? quis accidere in rerum natura non poſſe, vt ab vno extremo, contrarioq; in alterum ſine medio fiat trantus? cum aqua limpida, tranſcolata, nullius, vt oculi docent, tactus diſcernit, pondus manifeſtat, viſcoſitatis & craſſitiei ſibi conſcia in ſaxum concreſcere poteſt, etiam igne liquabile, ac ego in Scotia maritima ad Boream, Gallia Occitanica, apud Seuenos, & alibi vidi; doceãt me metallici quorſum, quæ fuit ſaxeæ concretionis materia, non poſſet eadem, aut ſimilis in metallum abire, habita tantum locorum differentia, quod cum illa liquidum eſt, & potentia, ac dixi, eſt aqua: aut mecum fateantur aquam nullius viſcoſitatis, pinguedinis, & limi terrei participem, ſola qualitate interna laborantem, metallorum & foſſilium eſſe proximam cauſam materialem, cuius palato neque arridet Agric. Scalig. & Schegk. aqua limoſa: Alberti humor pinguis, neque Chimicorum hydrargyrum & ſulphur,

cum ea qualitatis internæ in aqua, ſeu facultatis inexiſtentis, ac voles dicito, potentior ſit vis ad concretionem (quam vim ſeminalem in materia deliteſcentem vocat Titelm. & de qua in opifice cauſſa metallorum nos plura) quam viſcoſitatis, aut terræ aqua mixtæ ad coagulandum. Hoc videre eſt in medicamentorum operante vi, in ſtipticitate fructuum, ſi ad alia comparentur. Et ſi non tantum in iſtis, ſed aliis quibuslibet hoc vſu veniat, vt forma ſeu vis ſeminalis potentius operetur, dum ad viuum ſuam exprimat vim, quis vetat credere, etiam aquam vi qualitatis impellentis abreptam abire poſſe in metallum, in lapides. Exempla ſunt apud authores plura, aquas fontium deſinere in concretum quid: Et quam adhuc mireris aquæ qualitatem, narrat Plin. lib. 2. nat. hiſt. de Ciconum flumine, & in Piceno lacu Velino, eas aquas qualitate ſua pene rerum naturam transformare. Si innata qualitas aquæ, pene tranſelementare poteſt rerum naturam, hoc poteſt, vt & ipſa aqua in metallum concreſcat. Nec mihi Schegk. arridet Ariſtotelem vindicans ab iniuria, vt fatetur, magiſtrum, ponderoſum & craſſum intelligere halitum, ex quo fiant metalla: quin potius, ſi ſane intelligantur, priores magni viri, mecum ſentient. Ariſtot. ponit halitum humidum, qui vi caloris ex aqua elicitur, qui eſt, & erit aqua, tandem metallum. Nam omnis vapor in aquam deſinat neceſſe eſt: hoc ad oculum offert aqua bulliens, & herbarum ſublimationes. Addit Agricola Ariſtoteli humidum illum halitum ab aliis affici elementis: quid quæſo, hoc eſt, aliud, quam dicere materiam proximam metallorum eſſe aquã qualitate impreſſa laborantem, quæ coagulandi poteſtatem habeat? dixit ab aliis elementis affici, & recte. Non eſt enim inuenire purum putumq; elementum: noſq; ponimus metallis talem aquam, qualem mundus habet, & natura eam voluit eſſe, id eſt, contage aliorum laborantem. Sed affici & perpeti nihil aliud eſt, ſi quid ego ſentio,

quam

quam vim extraneam aduenientis ſubire poteſtatis. Hanc illi mecum elementis concedunt, id eſt. quod ad metalla attinet, aquæ qualem ponimus, & actioni elementorum; vt cõdenſetur humidus halitus: quod enim non ineſt, in materia, eius partes non efformabit. Sed & Chimici mecum hæc concedunt, argentum viuum, *dicunt*, loco materiæ ſubiicitur, & hoc eſt aqua viſcoſa, id eſt, glutinandi vi prædita & coagulandi, ac diximus: aliqui, *inquit Luercet.* addiderunt ſulphur, quod ita quadam ſimilitudine vocant agentis & introducentis formam in illa materia: Ergo ſulphur non erit reuera pars compoſitionis, præter rationes dictas: etiam quia eſt cauſę efficienti ancillans qualitas meo iudicio, vt infra patebit. Nam per ſulphur & viſcitudinem Chimici videntur intelligere, ſecus ac putarunt Melanth. & Titelm. qualitates materiei inſitas, quę compræparent ad formæ aduenientis amplexum. Et ita Luercet. ait, *Sulphur habet vim introducendæ formæ in materiam.* Sic ornant pronubæ ſponſam, & tradunt in manum viro: ſic anteambulones atria præparant in aduentũ dominorum. Et recte mecum Querceт. has materiæ ſubſtratæ qualitates, prodromas nuncupat, ne videamur eis attribuere efficientiam metallorum, de qua mox dicendum erit. Vidimus ergo de nominibus digladiantes inter ſe: tandem conſidero apud tutum hunc portum, vt vna voce omnes fateamur materiam metallorum propinquiorem eſſe aquã, & eam quæ habeat in ſe cuiuſmodi diximus qualitates: Et reliquis, quibuſcunque tandem Chimicis, ipſiq; Quercet. ſeu Chenæo Paracelſum meę aſſertionis etiam patronum obiicio, ait enim lib. 2. cap. 2. Paramiri, *Ex aqua metalla, lapides, & eorũ mineralia.* Et lib. 4. de cauſ. morb. inuiſib. *Ex elemento aquæ omnia mineralia oriuntur:* Et ne in animum inducas tuum aliquando materiam proximam metallorum eſſe Mercurium, ſal, ſulphur, audi Iſaacum Hollandum Chimicum, lib. Theoriæ ſuæ. Fili ſcias velim, Mercurium

præcedere res alias quæ ſunt. Nam ante tempus aqua erat, & Spiritus Dei ferebatur ſuper ea, ſed quid erat ea aqua? an ea nubium, an mador qui exhauriri potuit? minime: Sed ſicca puluereaque erat, & illi Deus ſuam adiunxit terram, quæ aquæ eſt ſulphur proprium, & ita terra figit aquam, & quatuor elementa in his duobus olim incluſa iam prodeūt ex inſtitutione diuina: Quare Mercurius figit ſulphur, & ſulphur Mercurium, neque alterum ſine altero conſiſtit, vt neq; vtrumq; ſine ſale, qui præcipuum eſt inſtrumentum generationis animalium, vegetabilium, mineralium: Igitur hæc tria Mercurius, ſal, ſulphur neque ſeparatim conſiſtere poſſunt (vnum enim ſine alio nunquā inuenitur) neq; eſt quicquam in quo non inueniantur. Et ex his quicquid eſt, habet ſuam originem & ita immiſcentur elementis, vt vnum efficiāt corpus, & ſal in fundo elementorū latet.

En tibi elementa ex ſale, ſulphure, & Mercurio. Iam ſi ex aliquo ſunt reliqua quæ ſunt, ex elementis ſint neceſſe eſt. Sed cum dixit prius aquam & terram eſſe viſibilia elementa, in quibus ignis & aër inuiſibiliter includuntur: Et poſtea affirmet aquā habere ſulphur ſuum, id eſt, ſuam terram incluſam intra viſcera ſua, mecum ſentiat oportet, materiam proximiorem, quam adhuc inuenit ingenium humanum, metallorum eſſe elementa, denuo aquam qualem nos iam poſuimus.

Valeant igitur ſomnia Melancth. Titel. & Chimicorum, qui his adhærere videntur, qui dum ponunt ſulphur & Mercurium pro proxima metallorum materia, omnia confundunt, prima nouiſſimis, elementa retexunt, vt metalla faciant, id eſt, conatur inuito Deo (ſi vera iſte Holandus dicat) rerum fabricam, quæ ex elementis eſt, inuertere, deſtruere, vt ſuis metallis habeant quam dent originem.

Hæc de materia metallorum propinquiori. Nam cuiusq; metalli proximam, vt eſt alterius loci indagare: ita eam ad tranſſubſtantiationis diſcuſſionem amanda-

amandamus,ſatis habẽtes modo,quod dixerimus propinquiorem metallis in genere eſſe aquam pro materia poſitam: nunc ad efficientem accedamus cauſam.

Opificem cavsam alii calorem, alii frigus, alii cælum (vt Titel.& Fernel.lib.2.de abdit. rerũ cauſ.ca.18.) & vim quandam ſeminalem in metallorum deliteſcentem materia mineralium ponũt Chimici fere omnes, ſulphur: Sed perinde ſi omnes opinantur, ac ſi attribuerent actionem agentis inſtrumento, puto ſecuri, cum agentia iſta particularia,deteriori ſint conditione ſine externo opifice, quam inſtrumenta ſine agente principali,vt ait Ariſt. 2.de ortu. Et ego,ac in arte eſt opifex,& plaſtes ſemper à re effecta diuerſus,ęque in naturalibus formator, formatrix cauſa, ſeu mauis opifex informans erit primum agens, ſeu primus motor: Ne otioſum igitur hunc ſtatuamus dicere, conuenit eum omiſſis miniſtris ex ſe proxime miraculo omnia efficere. Deinde vt omnia poliantur,conueniantq; ſibi inter ſe,aduocat reliqua ad opus:Nam vt ars habet ſuos malleos, limas, ſecures: ita & prima cauſa ancillantes formas,qualtiates prodromas,facultates aſſeclas,per quas aſſequitur quam prætendit generationem huius vel illius metalli: non ſolus calor,nõ ſolum frigus,&c. Nam cum elementa non miſceantur ſecundum ſubſtantias, ſed ſubſtantiæ qualitates totæ totis, & mixtio eſt quædam paſſio (retunditur enim cuiuſque qualitatis vis,illius alterius vi) iam ſi efficere ſua virtute & actione poſſet aut calor aut frigus metalla: vno, eodem tempore, & reſpectu eiuſdem generaret & generaretur in metallo, quatenus eſt accidens illi materiæ inhærens, & pars accidentalis metalli. Cum autem ita fieri non conuenit, ſequitur calorem aut frigus non eſſe efficientem mineralium cauſam. Quod hydrargyrum facile demonſtrat,cuius origini ſi adeſſet aut calor aut frigus, per omne æuum illi neceſſario aſſiſteret: Sed non

calet, *ſi Auicen. 2. can. cap. proprio credimus. Si Placentino lib. 4. Si Hermi Alchymiſtæ. Si Plateario. Si Alberto ad 3. Meteor.* Et cauſa eſt, quia in eo abundat humidum aqueum, quod quia præponderat, reiicit calorem noſtrum naturalem vi narcotica ad interna, actu friget, illius illitus Paralyſim & tremorem inducit. Non friget ex Ariſtot. 4. Meteor. Quia participat plus aëris, qui calidus eſt, quam aquæ: ex Gal. 4. de ſimpl. medicament. facult. cap. 18. Iſaac Iſraëlita ſuæ practicæ. 2. in 4. gradu calidum affirmat, & Conſtantinus de virtutib. ſimpl. Razis cum Ægineta, Haly Abbas, & Conciliator. Si differentia, cauſa eſt, quia diſſoluit, incidit, penetrat, humores ſubtiliat, & calfacit, mobiles reddit humores, acuitate expellit, ſputum ducit. Paracelſ. cap. 2. tract. 1. lib. 2. de morb. metall. ſiccum & aridum videtur ponere hydrargyrum: ſic cui ineſt neque calor certus, nec certum frigus, horum efficientia non eſt, cum harum ſit qualitatum & efficere, vt authores dicti volunt, & in re ficta deſidere.

Sed quid ad metalla cum hydrargyro? Agricola inter metalla numerat, notio nominis ſuadet: ex etymo enim ea ſunt metalla, quæcunque in terræ viſceribus inueniuntur, & effodiuntur, ita ſentiet Ammonius, Onoſicrit. Plinius libr. 33. nat. hiſtor. & Paracelſus tractat. 1. lib. 3. cap. 1. de morb. metallor. mercurium imperfectum eſſe metallum aſſerit. Sed perinde eſt, ſit non ſit metalli ſpecies, cum eo euadit diſputatio calorem aut frigus non eſſe agens proximum & princeps in concretione foſſilium, ſed aliam ab his in forma ſeu ſpecie vim, alias qualitates, etiam ſecundas: Si cooperentur cum his, ſit ita, ne Ariſtot. ſuas maſculas & mulieroſas negare videar qualitates: & reſumo mixtionis rationem: Mixtio ita fit, elementa primo congregantur ad inuicem, deinde agens principale tranſmutat illa, ita vt mediante vno deſtruat affectiones partis formæ ſubſtantialis alterius, & econtra, & reducit

ducit ad quoddam temperamentum, ita vt diſpoſitiones elementorum contrariæ remoueantur, & formæ pereant: & agens introducit qualitates ſecundas, quæ dicuntur temperies, cuius vna eſt media inter calorem & frigus, alia inter humidum & ſiccum, alia inter graue & leue. Alii vnam mediam ex primorum conflictu oriri arbitrantur. vtut ſit, iam in materia ſecunda, quæ eſt proxima metallorum cauſa materialis, nõ ineſt calor ſimplex, ſimplexve frigus, quod ſit cauſa efficiens coagulationis mineralium.

2. Si ſolum frigus ſit agens principale, quod vniat formam mixti cum materia: iam erit opifex, & rei etiam inerit, cum omnia metalla ad ſenſum ſint frigida. ſed præcipuum agens eſt ſemper aliud à re effecta, nec illi vt pars conſtitutionis ineſt: ita de calore dicito.

3. Agens eſt ſemper nobilius impulſo, ſed ſi vel frigus vel calor colligit in vnam materiam cum forma, accidens nobilitabit ſubſtantiam, qualitas eſſentiam ſubſtantificam natalibus reſtituet, & eam præcedet.

4. Hæ qualitates non poſſunt aliunde accerſire materiam, cum primi agentis id ſit officium.

5. Non illi innaſcuntur, ſed à ſuperiori poteſtate induntur: in prima quidem materia ſimplices, & actiuæ: in ſecunda retuſæ, & ad temperiem redactæ; ita vt in ea ſint non actu, ſed potentia: non per ſe, ſed quatenus in temperie, ſiue mauis media illa qualitate ex primarum conflictu reſultante, inſunt.

6. Si calor & frigus, neceſſe eſt vt illa prius ad temperiem accedant, & quid medium in mixto, aut illæ qualitates primæ multiplicabunt ſpecies, & calor ſpeciem caloris producet, quæ non eſt calor, ſed generatiua caloris: & frigiditas ſpeciem frigiditatis, quæ non eſt frigiditas, ſed generatiua frigiditatis: ſed calor & frigus non accedunt in metallis ad temperiem. 1. Quia poteſtate ſunt aqua, & ideo frigida. 2. Quia ſi aliquid exhalationis calidæ habet metallum, id vt pauxillulum

eſt,ita accipit iugum prædominantis frigidi. 3.Chimicis ſulphur eſt potius cauſa efficiens, quam compoſiti pars. 4. In reformatis & perfectis metallis ſulphur eſſe deſinit,& ideo calor: tunc mediocritatem ex conflictu non aſpirabunt calor & frigus, & poſſe multiplicare ſpecies eis non datur. Quare cum non conueniat ipſis inter ſe in materia proxima metallorum,efficiendi poteſtatem, & vniendi cum forma materiam ipſis negabimus.

7. Si calor & frigus iuncta eſſent metallorum cauſæ efficientes, eſſet generatio miſcibilium vnius ex alio,ita vt miſcibilium vnum,quod eſt frigus denuo generetur,cum ſemper metallo inſit, ſicut in his,quæ ad generationem concurrunt, vnum ex plurium temperie conſurgit.

8. Si calor & frigus efficiunt, etiam humidum & ſiccum, quia non eſt calor ſine actu vel potentia ſicco, & ita in aliis. Si autem omnium qualitatum eſt efficiẽtia ſola,non eſt mixtio,quæ,ac dixi,eſt quædam paſſio, atque ita non coaleſcent metalla.

9. Quid abſurdius in philoſophia aut magis horrẽdum, quam naturaliter efficientem cauſam inſtituere, quæ feriata tamen & ocioſa nihil prorſus agãt? cauſam enim actione definimus, quæ ſi nulla erit, ne cauſa quidem eſſe poterit: ſed caloris in metallo nulla eſt actio,non aſſiſtit illi in æuum,vt partium ſympatheiam, quam debet,moderetur, & conuenienter ac legitime pręparatum ſubiectum non conſeruat,neq; illius functionibus inſeruit.

Quid ad illud Ariſt.dicam? quæ frigore concreſcũt, calore diſſoluuntur in liquorem: at omnia foſſilia (paucis exceptis lapidibus, qui tamen etiam terreno frigore indureſcunt) liqueſcũt, & vi ignis in liquorem aqueum diſſoluuntur: non igitur concreſcunt calore metalla. Nõ frigore,ſic enim ſal quod ex Ariſt.coagulatur à calido p abſentiã humidi, igne ſolui nõ poterit,

cum

cum contrariorum effectuum contrariæ ſint cauſæ; ſed fundi ſalem vidimus, & ipſum quod dicitur ſal fuſibile fucum auertit ſuo nomine, ac Querce. mecum expertus fatetur. Inſuper cum res frigoris ergo pati magis dicitur quam agere, quia ſcilicet frigus eſt propriũ patientium elementorum, nempe aquæ & terræ, videtur id non poſſe maſculam induere virtutem, vt opifex ſit metallorum, & princeps coagulator, ſeu efficiẽs proximum. Sed Chimicorum ſulphur introducit formam in materiam, vt Quercet. ait, & ipſum eſt calidũ & ſiccum, & materia apta ignitioni: Sed huic opponere eſt animus Augur. Chryſ. 1. qui ait: *Cauſa efficiens metallorum eſt calor, & is aut radiorum Solis, aut fulmineus, qui ruptis montibus eò penetrans coquit terreos illos vapores, & indurat longo tempore, vt tandem in ſulphur & argentum viuum abeant, iſta in metalla.* Hic duo habeo, nempe ſulphur eſſe compoſitionis partem, ſed non cauſam efficientem metallorum, ac perſuadet Quercet. qui tamen adhuc ait: nullus dubitat ea, quæ Ariſt. de effectrice cauſa dixit, quin vera ſint. Audiamus igitur Ariſt. etiam per ſuũ interpretem Quercet. loquentem, vt tandem ſeipſum etiam temeritatis conuincat: corporum quæ concreſcunt & indurantur ex Ariſt. alia ex calore ita afficiuntur, alia à frigore: à calore quidem humorem exſiccante, à frigore vero calidum exprimente. Quæ igitur coagulantur à calido per abſentiam humidi, ſoluũtur à frigido, quod humidum iterum facit ingredi, vt Sal. Quæ autem caloris priuatione concreſcunt, ſoluuntur à calido iterum ingrediente, vt metalla: quicquid enim diſſoluitur liqueſcẽs, aut igne liqueſcit, aut aqua: quæ liquefacit aqua, concreta fuerunt à calido ſiccoque, id eſt, igneo calore, oportet: quæ vero liquefacit ignis, aut quorum concretionem aliqua ex parte ſoluit, vt cornu, frigore coaleſcunt, ſiquidem contrariorum effectuum contrariæ ſunt cauſæ, & quoniam calore liqueſcunt metalla, illa

etiam frigore tanquam cauſa effectrice primo cõcreſcunt neceſſe eſt: vbi iam quæſo ille efficacior calor? ſed reſpondebit Quercetan. licet frigus vim efficiendi obtineat, tamẽ natura ad metallorum procreationem eget ſubterraneo calore aliquo, qui diſponat materiẽ. Et ſit ita, ſed Ariſt. ſeipſum interpretetur, ait enim: *Agens non poteſt eſſe pars materialis compoſiti*, at ſulphur eſt agens ex ſententia Chimicorum in mineris coagulans metalla: igitur ſulphur nõ eſt pars compoſiti: ſed ex Chimicorum ſententia ſulphur omnium metallorum eſt pars conſtituens, & illud fuſibile vel ſecus, quo coagulantur metalla, vt ſint liquabilia vel illiquabilia. Quare falſa eſt illa Chimicorum prior aſſertio, ſulphur eſt agens ſeu formatrix cauſa, ac nos loquimur, metallorum: ſi reſpõderint ipſos intelligere in mixtione auri perfectioris metalli, quod ſperat natura facere, ſulphur non ineſſe, his reſpondeo: ſi, ac dictum eſt, ſulphuris facilimæ liquefactionis (altera ſulphuris Chimici ſpecies) gratia, metalla ſunt liquabilia, & aurum ſit liquabile, certe ſulphuris huius ratione, hoc illi accidit vt ſit fuſibile: quare & ſulphur, vt eius compoſitionem ingreditur, ita & in compoſito manet: alioqui illiquabile eſſet aurum vel Gebro iudice. Sed vt ſemper, & hic lector Chimicorum male fundatum fundamentum euertat, conficiatque Chenæus Gebrũ præceptorem ſuũ, eleuans fidem toti Chimiæ nos moneat totam artem meras eſſe nugas. Dicit quippe Sclopet. pag. 16. neque dubium eſt cuiquam, quin plumbum (quamuis corpore ſuo graue inter cætera metalla & terreum ſit) tamen & rarum & ſpongioſum ſit, quemadmodum Philoſophi omnes fatentur; quippe quod conſtet ex ſulphure impuro & combuſtibili, magnaq; craſſi Mercurii copia, impuri & fæculenti (quæ tantæ in fundendo facilitatis & raritatis, & molliciei cauſa eſt) ac propterea facilime quouis liquore imbuatur. En tibi Mercurium eſſe cauſam liquefactionis facilioris,

tis, vt hic bonus vir arbitratur: cui fidem facies? ineptias vterque: dicentque aurum nõ poſſe cedere igni ea de re, quod ab eo decoctione ſeparatur perfecta ſuum agens, id eſt ſulphur. contra cum Alberto Magno lib. miner ſimpl. ego dico, ideo liquata metalla nõ reduci in vaporem, quia ipſorum humiditas alicui materiæ permixta eſt, qua retinentur in igne, tutaq; ſint ab eius vehemẽtia. Et Geber in Summa dicit: viſcoſa humiditas ſola igni reſiſtit: ſed ne hæc viſcoſitas ſit Mercurius, dixit ſupra Paracelſ. Mercurium eſſe aridum & ſiccum. His aſſentit Bonus Ferrarienſis, licet Geber alibi, ac dixi, ſulphureæ ſiccitati, & forte inepte hanc reſiſtentiam attribuerit. Deinde ne potero & ego aliquando à Chimicis obtinere, vt ordine procedant, vt nõ oblitis potioribus cauſis etiam adſuant quæ velint, & ſperent non omittenda vt aurum cumulent, cõqueſtus ſum in examine diuiſionis, ipſos æternæ cõmiſiſſe formalem metallorum ſciſſuram obliuioni, vt neſcio quam materialem obtrudant, & eam non ſatis cõcinnam: Nunc queror ipſos omiſſa principali cauſa efficiente & flumine, riuulos aridos inſectari, id eſt frigore: quod ipſum iudicibus præcipuum eſt agens in metallorũ fabrica: & calorem neſcio quem, ac glaucoma ob oculos vigiles obiicere, cuius vt ſit aliquis vſus, is tamen erit qui frigori ſeruiet, is erit qui materiã prodromo ſuo officio præparet, vt poſſit a frigore perfici per vnionẽ formæ, ſi Ariſt. & Philoſophis credere velint. Scio tamen Chimicos eſſe tã deſperati cerebri, vt nihil vnquam velint admittere, quantumuis rationib. intertextum, quod metalla in aurum non velit transformare, huiuſmodi eſt ipſis calor: & hac perſuaſione ducti frigus nunquã exprimient, ne illi, vt credo, in lucro ſint partes aliquæ: ſed omne agens in hoc agit, vt ſui ſimile reddat obiectum patiens: ſic forma quæ in ſemine eſt, aliud quicquam nihil molitur, quam vt ſemen aliud de ſe generet, & tandem optata perficit: at agens Chimi-

corum calor, cũ nihil tale meditari videmus, nec memoriam ſui apud effictum metallũ relinquere, nedum vim quæ ſoboleſcat, ſane illi in effictione metallorum minimas eſſe partes perſuadeo. Et cum nulla qualitas primo & per ſe agat, quoniam omnis actio ad ſubſtantiæ compotem formam pertinet, quę principiũ quoddam eſt efficiens, ſane neque frigori damus operas in metallorum factura.

Quare ego more meo vtriſque ac diem dixi, inſiſto: & ſi ποιητικὰ ſunt calor & frigus, certe ea erit & potentior & efficacior in metallorum generatione qualitas, quæ plura perficit, coagulat cedente comite calore, aut expulſo vi à prędominante frigore, quod ſummam manum rei imponit; atque frigus eſt in omnibus metallis apparens, & quod ea etiam in eſſe ſuo, vt videtur, conſeruat, idem dediſſe concretionem non eſt dubiũ: eiuſdem enim eſt opificis in naturalibus, & generare & conſeruare: frigus hac de re erit efficacior effectrix cauſa ſubterraneorum contra ac Chimici arbitrantur, vt ancilla frigoris calor, ſi illi opus ſit calore, materiam diſponit, mutat, digerit, coquit, limat. Sed quorſum? ſcilicet vt aptas reddat partes, quæ frigoris beneficio vniantur cum forma: at frigus non poſſe formam introducere, vt nec calorem docui, & hoc in Chimicorum gratiam addo, forma metallorum non introducitur per ſulphur in argentum viuum, ac ſupra dixit Quercetan. ſed elici dicitur, & educi ex materiæ potentia opera ſuperioris & externi agentis: iam reſtat exulare has duas, ac volunt, maſculas qualitates, & ſubterraneorum generationi non adeſſe, aut ſi adſint & inſint, cum agere niſi inſint non poſſent, ſecundario adeſſe, & ea ratione, quatenus in ſecundis inſunt qualitatibus. Et non aliter perſuaſus ex Ariſt. 2. de ortu, vnumquodq; elementorũ alteri mixtum inueniri, & nõ purũ, vt aqua inuenitur mixta terra, & tale aliquid non debet dici aliquod elementorum, & ſi ex tali quopiam

Chimi-

Chimici vt Philoſophi volunt metalla fieri, ſane inerit his partibus ad mixtionem concurrentibus metalli (puto Mercurio & ſulphuri) aliqua temperies, quæ nō ſit nuda primi corporis qualitas, ſed ex conflictu primarum orta: quare harū particularum, quæ ad mixtionem metalli concurrūt actu, ſecundæ ſunt cōditiones, & prima mixtis inerit qualitas, quatenus potētia ineſt in ſecūdis, & ita ſecunda qualitas, ſeu media illa ex aliis reſultans, debet potius dici cauſa efficiens metallorū, quam illa prima, quæ nullo modo actu ineſt in illa metallorum proxima materia. Deniq; Chimico Chenæo Chimicū Iſaacū Hollādum in Theoria oppono, is ait: Solis plane auxilio naturā producere, generareq; cum metallis & alia omnia. En duo habeo, primū naturam (ac ego dicturus ſum) eſſe ſummum opificem; ſecundum, ſi naturæ opus ſit inſtrumento, id eſſe non calorē, frigus, ſulphur, &c. ſed Solem. Sed adhuc Chimici & ſibi & mihi detrahēt & qui finiiſſe inter nos litem viſus ſum, ad litis conteſtationem reuocabunt, deierabuntque, has maſculas qualitates nō poſſe metalla perficere ſine auxilio corporū cœleſtiū. Sed quā temere ipſi viderint, quam inepte ego doceo, qui profiteor omnem aſtrorum in nos influxū obiectu nubeculæ, aut concitatione aeris vel minima auerti poſſe, ne ad nos accedat, ac mecum ſentiunt Aſtrologi. ſi ita eſt, fortuita erit omnis metallorū colligētia, ſed fortunā adhibere oculatæ, vigili, operoſæ, & ſemper agenti naturæ philoſophi nō tentarūt, quæ ſemper finē ſibi proponit certū, & eò dirigit omnes conatus, vt quā inceptat generationem, eā ad tutū perducat portum. Aſtrophili eò progreſſi ſunt, vt dicāt diuerſos hominū vultus, & accidētarias corporis formas ſtellis acceptas referri debere: his ſunt Philoſophi, qui dant operam: ſed ſi medicis quod ſentiunt, dicere liceat, & ſi Chimici, qui omnes hoc æui medici volunt videri, medicorū approbēt dogma, fatebūtur cū medicis imaginationē concipiētiū

varios indere fœtui vultus, varias formas. Leuinus Lemnius medicus libr. 1. De occultis naturæ miraculis, cap. 4. ait: conſtans eſt apud medicos, multisque rationibus confirmata opinio, ſi mulieri ſemen confluat effluentius, matri infantem aſſimilari: ſin viro profluat exuberantius, patri: quod ſi ex æquo pariq; menſura, ac collatis viribus contribuant, vtriq; aſſimilem eſſe, vel parte vna patrem, altera matrẽ referre. Et poſtea: præcipua tamẽ effectus huius cauſa in tacita mulieris imaginatione conſiſtere mihi videtur, vide Plin. lib. 7. c. 10. nat. hiſt. & lib. 4. c. 18. Hanc imaginũ varietatẽ nonnulli ad ſyderum influxum referunt: ego aptius, magiſq; appoſite ad ſeminis naturam ac matris imaginationẽ referendam cenſeo: ſic Paracelſ. lib. de matrice ait, vti vir plantat arborem, ac manibus colorat; hoc ipſum facit mulier ſuis imaginationibus, vt infantibus aliquid accidat in ſua naſcentia, vt pani, lentigines, &c. & libr. 2. de cauſ. morb. inuiſib. ait: quæ corpus hic vel illic fieri vult, imaginatio ſtatim concipit & perficit: imaginatio fœminæ eſt opifex: Embryo eſt paries, in quo pictura perficitur. & poſtea: quicquid corpus concupiſcit in ſtatu imprægnationis, id in infante perficitur, & talem poteſtatem habet imaginatio fœminæ, vt in infante pingatur & efformetur id, quod ipſius cupiditas in exterius corpus transferre vult: vt ſi prægnans fœmina concipiat teſtudinem, eamque ſibi imaginetur, in illa autem imaginatione manu attingit poplitẽ, ita vt ambo corpora celerrime in vno momento moueantur, ibi imaginatio eſt occupata in infante: dominus autem imaginationis poplitem tangit, ita teſtudo ædificatur infanti in genu. & libr. 3. de operib. inuiſ. ex imaginatione ait: quando mulierem cupiditas inceſſit furandi, & amoribus indulgendi, &c. illa infanti imprimitur, vt macula in manu, in eoque perdurat, dum viuit, eſtque vera & perfecta impreſſio, vnde multi errores nati ſunt: in Planetas enim culpa reiecta fuit,

cum

cum tamen in cauſa ſit hæc imaginatio: ſimilia multa infantibus connaſcuntur, & ſuo tempore manifeſtantur, ob quod & tam varia & malitioſa iuuentus reperitur. Similiter quod homines quædam comedunt, quædam vero minime, &c. id tantummodo proficiſcitur ab aſtro hominis impreſſo infantibus, abſque vlla externa additione, ita vt imaginatio ſit ipſum aſtrum: En plura quam quæſiuimus, en omnem vitæ rationem aliunde quam ab aſtris petitam, formam, mores, actiones, victum, & quid non? ne quid omnino habeat homo, quod à ſtellarum operatione pendeat. Lib. autem de generatione hominis. 1. ait aliter: vtrumque ſemen vnum fit, & vnum hominem conſtituit, & cuius hominis ſemen in quolibet membro prædominatur in formæ productione, illi aſſimulatur membrum illud. Quod autem infantes non ſint vtrique ſimiles, in cauſa eſt mixtio & vnio duorum ſeminum, quæ ambo operantur, ideo medium quid ex vtroque formatur. En quocunque nos vertimus, aliunde, quam ab aſtris pendere vultuum diuerſitatem ex Paracelſo. & ibid. natiuas omnes concupiſcentias & vitia à primis parentibus deriuat, concluſione hac illata, ne nos conturbet doctrina ignarorum aſtronomorum, qui hæc omnia ſtellis attribuunt. At ſi medicorum conſentienti opinioni audeo oggannire, dicam, ideo vſu venire, vt hæc vel illa facies ſit infantibus, quia ipſæ naturæ ſunt tales, id eſt formæ, id eſt in viuentibus animæ: futile eſt enim hâc imaginum varietatem incertitudini aſtrorum dare, aut imaginationi, cum liceat dicere, natura vt ſpecies diſtinxit (nam vltimæ exædificationes, quibus leo eſt tale animal, equus aliud à forma ſunt) ita ipſa forma diuerſa in diuerſis diuerſos diuerſis indit vultus. ſi quorſum regeris? repeto, quia ipſæ formarum naturæ ſunt tales. His Galen. fauet libr. 2. de ſemine, vt cum ait: *Similitudinem formæ conſtat cum vtroque parente ei facultati, quæ ineſt in ſemine opifici atque ſingenti ac-*

ceptam referri. Hæc opifex cauſa libr. 1. de ſemine eſt Galeno vis ſapientiſſima & potentiſſima extrinſecus adueniens. lib. 1. Aphor. Comment. Aphor. 15. eſt illi calor natiuus. De vſu part. 17. mentem appellauit. & libr. eiuſd. 11. deum. In ſecunda natura forma eſt: iam his adde ſi cordi eſt, pro conſtitutione, diſcretione, digeſtione, accumulatione, mixtione, diſpoſitione, & operatione, in materiæ humanæ præparatione, in formæ aduentura hoc vſu venire, vt aliis alii ſint vultus, alia corporis lineamēta, quæ quidem perficiuntur formæ accedentis opera, quæ cuique ſua eſt, & diuerſa, & reguntur tam formæ quam facultatum ancillantium induſtria, ne in corpore iam conſtituto, niſi pro imperio admiſſæ dominæ aliquid innouetur. Si imaginationi opus ſit, ſerua his ſit prioribus, & pediſſequa facultas, non præcipua variorum vultuum cauſa. Eſt & alia Gebri ad hæc reſponſio Summæ part. prim. capit. 11.

Quod ad ea Ariſt. attinet, homo & Sol hominem generant, ſtellæ & corpora cœleſtia formas introducunt in corpora, dico, Heraclito hic dediſſe manus, qui ſenſit animam eſſe vim aliquam à cœleſtibus corporibus defluentem in corpora: aut ipſum naturalis ſcientiæ & ſapientiæ (vt ait Galeott. capit. 28. libr. de doctr. promiſc.) cultorem id verum eſſe putauiſſe, quod naturali argumentatione monſtratur, & ad ſecundas cauſas intentum nō ſatis diiudicauiſſe primum agens, ac ipſe clare innuit. 2. de ortu ad finem, cuius ſolius eſt formarum vt fictio, ita & diſtributio, ac quilibet mecum candide fatebitur: vel certe in eo errore (pace tanti viri dixerim) fuiſſe Ariſtot. vt crederet concurſionem permiſtionemque ſyderum talem olim fuiſſe ingentem, inſolentemque, quæ ſola tum homines, tum perfectiora quæque animātia, nullo ſemine proferret, & quæ vna tum efficientis cauſæ,

tum

tum præparantis ſeminis vim obtineret, & rurſum eiuſmodi ortus futuros, ſi mutationes acceſſerint, vt eſt poſſibile: At nos qui docere Ariſt. poſſumus animantia prima non ex vertigine cœli emanaſſe, ſed eſſe vniuerſalis animæ mundi, ac Plato dixit, ſeu Mentis, ſeu primi motoris, ſeu opificis Dei opera: perſuaſum inſuper habemus, neque obliquum cœliferi motum, neque rotationem cœli ſeu quintæ eſſentiæ perennem, neque concurſiones, permiſtionesve ſyderum effingere animalia poſſe: Ac male forte & Fernel. cum Ariſt. ſentit, atque, vbi deſcenſum naturalis & ſentientis formæ ab aſtris agnouit, non deriuationem cum ſemine parentum, nulla alia de re, ſi video, dixit, quam vt ſpiritui calorique ſuo diuinos honores & cœleſtem originem fabricaret. vel dixeris, naturalem contemplationem inſtituens Ariſt. nihil ex profeſſo aggreditur, quod non vel manu tangere, vel oculis cernere, vel demonſtratione conſequi poſſit: at non ſemper intra eos limites quaſi in anguſtias ſe coërcet, ſed interdum naturæ ordinem prætergreſſus, & in rerum diuinarum contemplationem tranſiliens, verbis quidem paucis, at grauiſſimo ſententiarum pondere, omnium quæ gignuntur, primam originem deducit à Deo: & dum forte ait in Phyſic. *homo & Sol hominem generant.* & 3. de generat. *animal refert acceptam generationem cœlo*, vſus eſt Synecdoche, vt ſit thronus habitationis pro eo, qui thronum inhabitat poſitus: vel vt medici affinitate atque coniunctione rerum inducti, vim & facultatem ſtatuunt eſſe efficientem cauſam, & effectum omne facultati tribuunt, vt facultatem attrahentem, quicquid in alimento vtile eſt allicere: expultricem aliena depellere: concoquentem, cibum conficere, vti & quartam continere: quod & Galen. frequens eſſe ſolet, *quando*, inquit, *cauſæ efficientis eſſentia incognita nobis ſit, eam facultatis nomine appellamus.*

Sic Ariſtot. immerſus in naturam rerum, non inueniens vnde forma, ne nihil diceret, dixit à cœlo & Sole eam eſſe, tum propter lucem & lumen formæ & Soli communem, tum propter ſplendorem, motum, & efficientiam, quaſi diceret, quod eſt Sol toti mundo, hoc eſt anima corpori: ſed ideo fingere rationis participem, & viuam, & præſtantiorem formam, & vt diuinitati proximam, ita participem à Sole principium exiſtentiæ deriuare creatura imperfectiore, non video quorſum. Eſt & Paracelſi ad hęc reſponſio, comment. ad Aphor. 14. ſect. 1. Hypocr. ait: *Vbi Sol elementi ignis fortis eſt, & efficaciter terram ferit, ibi oportet multas eſſe humectationes. pluuias, rores: ſimiliter in homine quoque accidit, dum creſcit: nam & Microcoſmi Solem (quem Hypocr. calorem natiuum. Paracelſ. hoc loci vocat creſcendi potentiam) fortem humiditates, videlicet pluuiam & rores, hoc eſt cibum & potum copioſum habere oportet.* Hinc eſt dictum illud, Sol & homo generant hominem: ita vt homo ſit pater, ex quo ſemen eſt, Sol vero vt vis creſcendi in quantitate & robore. vel certe hominem loco materiæ ponit Ariſt. Solem loco formæ, ac ſi diceret, homo homini ſuppeditat materiem, cui forma ſubſtantialis adnectitur, anima ſcilicet rationis conſcia, vt totum aliquod ex his euadat: & quia ſuperne aduenit, placuit illi Solis præſtantiſſimi aſtri, ac forma humana cæteris præſtat, & viæ fortaſſis nomine, per quam in corpus deſcendit, eam nominare. Huic rei hoc Ariſt. fidem facit, principia prima mouentia ad generationem & introductionem formæ in vnaquaque re ſunt ſtellæ & corpora cæleſtia per motum & lucem. Quam ſententiam ille mihi mutuare videtur ex Triſmegiſti Pimandro Dialog. 10. qui ait: *Animam acceſſuram corpus in deſcenſu ex cœlis inuolucrum tenue, micans, & ſtellæ ſimilimum induere ſibi, aliud ab elementis mutuo accipere, & his vbi eſt induta tunicis, ingredi corpus.* Plura ſunt hac de re apud Plethonem

thonem comment. ad Zoraſt. magica oracula: apud Proclum de anima & dæmone, fol. 239. Cœlium La. ctant. lib. 4. cap. 49. Fernelius hãc rem Academicis acceptam refert, lib. 4. cap. 2. Phyſiolog. ſuæ.

Quæ omnia eò euadunt vt forma humana, quæ res ſupercœleſtis eſt, probetur immitti in corpus à diuis, non ex materiæ potentia educi, atque illa brutorum, vegetabilium, & mineralium: tum eſſe opus primi agentis, & emitti ex cœlis, vbi ſunt optima entia, malis imperuia, optimam vitam degentia, æterna: & quia ad deorum naturam & formam proxime accedit forma, ſine aliquo medio non potuit ferre corporis aut tenebras, aut fæces. Quare conſulens huic coniunctioni primus orbis rotator, lucidam dedit ei ab cœlo mutuatam intuſiatam, aliud ex elementorum tenuioribus factum fabre induuium particulis, atque his inuoluta anima, non dedignatur penetrare in loca corporis obnubila, ſed in hoc aſſueſcit vt tenebras ferat: hæc eſt illa veterum lux, quæ introducit animam in corpus: & ni moueatur, non deſcendet: ſed cœlum ipſam impellere deorſum eſt impoſſibile, cum ſolus cœlo ſit motus in circulum, cum forma nullius ſit qualitatis aut quantitatis ſibi conſcia, vt ſuopte ingenio feratur ad centrum: & licet principium ſui motus in ſe habeat dum habitat corpus, ad corpus tamen accedit non per innatam ſibi conditionem, nec per motum ſtellarum & ſupercœleſtium corporum, vt quibus ſit dignior, ſed ductu, & impellente primo motore, qui in eos vſus formas apud ſe formatas vel habet, vel quotidie formet, vt Lemnius de occult. naturæ miracul. libro primo capite ſecundo aſſerit, vt per varia & noua corpora eas diſtribuat: niſi forte intelligat Ariſtot. vim primi agentis inhabitantem cœleſtia corpora, quæ hæc operetur per motum & lu-

cem, motum quidem ab hac diuina vi procedentem, & tandem animæ conceſſam, vt induerit corpus ad generationem, & cætera id genus corporea munia exequenda: & lucem ab ſe, & Natura mutuatam, ſic Plato dixit:

Per Cancri portas animus delabitur in nos
Per Capri ad ſuperos, ſed reditura, meat.

Et Pythagoras:

Principium imperii Ditis via lactea fertur,
Naturæ in thalamum mens prior vnde venit,
A partu hinc dulci pupos natura focillat
Lacte, orbi grates vt dedit, vnde animus.

Sed ita placuit late doctis hæc interpretari veterum placita.

In cœlum aſcenſus, cœli per compita lapſus
In terram, nullo dicitur eſſe ſitu.
Sed quia Luna domat Cancrum, quæ mox generandis
Proxima ſit, genitum dein vegetare ſciat.
Hinc per lunarem inſtinctum deſcendere mentem,
Dicunt obſcuras corporis in latebras:
Triſti Saturnus dominatur qui Capricorno
Erigit vt mentes ad rationis opus.
Deſpicit vt terras, inſtinctu hoc per Capricorni
Portas, ad cœli fertur abire domos:
Lunaris tantum ſenſus mouet humor, & artus
Humidula teneros molliter auget ope.
Sicca Dei virtus Saturni in viſcera cogit
Pneumata vt, ad cœlos libera fert animam.
Saturnum priſci mentem dixere, petuntur,
Qua ſola ſuperûm cum ratione domus.

En quo abeat hoc Philoſophãtium dogma, quod totũ in eo eſt, vt oſtendat animam à cœlo ad nos accedere, & niſi impediatur à fæcibus corporeis ſemper diuinas vnde venit ſedes, & cœleſtia meditari, ad quæ vinculis ergaſtuli ſolutis redit: tum quia crederent illi, lunam humidam præeſſe fætus humidiori ætatulæ, in qua aduenit anima, ænigmatice placuit dicere per lunam ad fœtum viuificandum deſcendere animam: & quia conſumpto omni primigenio humore, qui calorem nobis inſitum nutrit, fidum animæ miniſtrum, euolet ad ſuperna, per Capricornum & Saturnum petere aſtra perſuadent, perſuaſi horum aſtrorum eſſe ſiccam naturam & efficientiam: ita medici dicunt ſicciori temperiei vegetiorem eſſe animam, & quæ contemplationi facilime ſe proſtituat, ſed etiam quæ ex ſiccitate facilime contabeſcat, & mature corpus relinquat.

Iam vt hanc meam ſententiam illi veterum non abſimilem intelligas, verba Galeni de vſu partium 17. Platonis ſententiam confirmant, qui mundi animam cunctis in rebus vigere ait, & Ariſtotelicum dogma, quod formam rei cœlitus demitti prodit. Quis ita demens, ait, vel hoſtis & oppugnator operum naturæ eſſe poſſit, qui non ſtatim ex cute ipſa omnium primum conſpiciat artem Creatoris? quis non mox cogitabit mentem quandam aut intelligentiam admirabili vi præditam per terras vehi, & in omnes extendi partes? nuſquam enim non gigni videntur animantia, quæ omnia admirabilem quandam ſtructuram acceperunt: omnium certe mundi partium ea eſt viliſſima atque ſordidiſſima, quæ circum terram eſt, & eò tamen pertinere videtur mens à ſuperis illis deducta corporibus: ſic neque Plato, Ariſt. aut Galen. diuerſum principium, cauſamve ſtatuũt procreationis for-

marum, ſed vnam omnes, ſeu Naturam, ſeu conditorem, ſeu genitorem rerum, ſeu animam, ſeu mentem, ſiue Deum appellare velis. his dat manum Paracelſ. lib. de Creat. hominis.

Sed aſtrorum in nos ita diuido actionem, aut in corpus, aut in animam agunt aſtra, aut in vtramque ſimul: ſed ſapiens dominabitur aſtris, & perfectiorem animam ab imperfectiori cœlo pati non eſt conſentaneum, cum agens ſemper ſit nobilius eo quod patitur: & incorporeum corporis non recipit impreſſionem, cum quo illi minimum eſt negotii. Recte enim Fernel. lib. 2. de abdit. rerum cauſ. cap. 18. ait: plures libertatem animi, actionesque noſtras ſyderum neceſſitati perperam obſtrinxerunt Aſtrologi: & Ptol. Sentent. 5. ait: poteſt qui ſciens eſt multos ſtellarum effectus auertere. & Paracelſ. de morbis metall. tractat. 4. cap. 3. atque pluuiæ obtenditur tectum, Soli vmbraculum, ita & caminus inuenitur, per quem impreſſio ſeu influentia aſtrorum penetrare nequit. En obiicio Paracelſicis Paracelſum, qui cauet & corpori & animæ, ne ſint illis incommodo aſtra. Et Lemnius libr. 4. cap. 15. de occult. nat. mirac. ait, mens atque anima ab Archetypo diuinitatis depromta, nec ſyderum vi impellitur, nec vlla ab iis vel incommoda vel commoda percipit. Sed agant in corpus: at omnium ſuperiorum efficientiam cum vna luna in ſe recipiat, ſi Pontano ad 23. Ptol. Sent. credimus. & diſtribuat, ipſa etiam cum ſit in corniculatione, ſeu ſilentio refrigerat & humectat: diuidua humida & aliquantulum eſt calida: Panſelene calfacit & exſiccat: cũ iterum ad gibbũ accedit, frigida eſt & ſicca. quare pro ipſius varia phaſi corrumpit & alterabit, quos ſuſcepit diſtribuẽdos inſtinctus, vt nihil certe efficere poſſit in corpus noſtrũ. nã priuſquã debilis & ſine corpore defluxus penetrare poſſit molem

lem noſtri corporis, & per craſſaminis rimas ſe in animæ penetralia inſinuare, iam mutata eſt luna, & nouam vt habet, ita demittere conatur impreſſionem, ita vt quæque alteram & priorem ſemper impediat: & non eſt cauſa, quin luna alterata & alteret, quas accepit ſuperiorum corporum impreſſiones, ad ſuamque naturam accommodet præſentem.

Et quod Lunæ ego, Marc. Manilius lib. 4. Aſtron. omnibus euenire ſignis cœleſtibus his verbis teſtatum reliquit:

Vt ſignum à ſigno, ſic à ſe diſcrepat ipſo;
Momentoque negat vires vtroque ſalubres.

Sed & hoc volui dicere, inter omnia aſtra cum Sol ſit efficaciſſimum in hæc inferiora, ſoloque Solis nutu regatur luna, ſane neceſſe fuerit impreſſiones ſuperiorum planetarum recipere Solem, quas lunæ communicet, quod fieri nequit, aut lunam nullas, vt quæ imperio Solis vnico acquieſcat. Auſcultare vnicũ Solem docet authoritas Lemnii, lib. 2. de occult. nat. mirac. cap. 41. ait, *Luna ex ſe nullis facultatibus ac viribus imbuta, quam vim habet, illam a Solis conſpectu conſequitur:* Deinde eius mutationes & lumen, Solis enim beneficio luce fruitur, ſic vt tanta illius pars illuſtretur, quantam ſol ſuo ſplendore irradiat: deficit autem, lucisque expers redditur vbi terræ interuentu lux illi intercipitur, & tunc potiſſime in terrena vires ſuas exercet, cum vel Soli ex aduerſo oppoſita impletur, atq; orbiculata efficitur, vel vbi primum illi coniungitur: & videmus lunam ſemper auerſis à Sole cornibus, ſi creſcat, ortum ſpectare: ſi decreſcat, occaſum: quæ triduo plærunque in coitu morata demum luceſcit, ac falcata emicat: ſingulis vero diebus ab incremento à Sole remotior ad ſeptimum vſque augeſcens, medio orbe diuiſa ſpectatur, eaque pars illuſtratur quæ Soli in occidentem delato opponitur, illa opaca, quæ orienti ob-

uerſa eſt: Semper enim luna creſcens Solem in occidentem ſequitur, ſupraque noſtrum horizonta conſpicitur. Vbi vero decreſcit, pręcedit Solem, illiq; præuia eſt, ac ſupra horizonta antelucano conſpicitur, ea ſemper parte illuminata, quæ Solem reſpicit: eoq; efficitur, vt pars incurua, atque in cornua falcata ſemper à Sole auerſa ſit, globoſa vero, atque in gibbum ſinuata, aduerſa Solique expoſita: Quarto autem & decimo die cum ex diametro Soli oppoſita eſt, plena perficitur, ipſaque oritur vbi Sol in occidentem declinat, quo fit vt vndique illuſtretur, Solisq; ſplendorem quaquauerſum recipiat. 17. die cum Sol oritur, luna in occidentem depreſſa conſpicitur. Altero & viceſimo die Sole emerſo luna medias fere cęli regiones peruagatur, eaque pars quæ ad Solem fertur, lucida eſt obſcuratis reliquis. Deinceps cum ſingulis diebus curſum ſuum perſequitur. 28. demum die & tertia eius parte, ſeu horis octo, totum ſigniferi circulum abſoluit.

En vt luna vni paret Soli contra ac ſperarunt Chimici: Solisque cum potentior ſit efficiencia, ea aſtrorum reliquorum, quos mittunt ad lunam, ſi mittunt radios, aut exanimabit, aut debilitabit, & ſic actum eſt de lunę in nos influentia.

Inſuper cui adeſt nobilior imperatrix corpori, id ſine imperio antiſtitæ extraneã & debiliorem agentis iuſſionem non accipiet, atque probauimus formam quæ corpus informat, præſtare ſtellis, & quæ ipſa nullam agnoſcit ſtellarum denigrationem, non patietur vt in corpus agant; quin potius humanæ animæ ineſt via rerum immutandarum: affectus enim humanus, inquit Auicenna, referentę Galeott. cap. 15. de doct. promiſ. vehementiſſimus ſine hæſitatione quod deſiderat, efficit, atque ita illi turbandarum debilium ſtellarum, aut ſaltem impreſſionum, & propter longitudinẽ viæ, & raritatem, & tenuitatem inſultus, efficacior inerit vis, quam econtra.

De

De geniturìs & natalibus pro aſpectuum varietate & Planetarum coniunctione variatis hoc dico ex Pontan. ad 23. Ptolom. ſent. Luna corporum domina, afficit corpora noſtra, vt à ſuperioribus afficitur poteſtatibus. Corpus lunæ ſubeſt, vt vitalis ſubſtantia Soli, inde efficitur in corpus agere, & in animam ratione corporis, & ideo ratione corporis, quia animæ mores ſequantur corporis temperiem, vt vult Galen. de opt. conſtit. corporis, & inſinuare videtur libr. 1. capit. 5. de nat. facult. Et vt Sol agit in ſpirituoſam ſubſtantiam, ac diximus, ideo aget in animam, quia prius in illam corpoream, nec alia omnino ratione.

Sed Galen. lib. de temper. 1. videtur contrarium ſtatuere, dum ſcribit formatricem in natura virtutem, quæ artifex facultas eſt, particulas ſecundum animæ mores effingere. Et Scaliger pater inquit: *Peſſime ſentit Galen. quod anima ſequatur corpus.* Sed Lemnius lib. 1. de occult. nat. mirac. cap. 7. vtrique diem dicit, vt ait: *Natura formatrix præparat corpus animæ morib. aptum, ſuumque temperamentum cuiq; accommodat parti.* Et Cyprianus in prologo de virtute Chriſtiana, corpus ſequi animæ mores affirmat, cum ſola anima viuat, ſentiat, & moueatur, corpore vero ſic animam vti aſſerit, vt fabrum malleo vel incude, in quo format quæ vult ſimulacra, & quæcunque affectat, per corpus peragit. Et Lemnius lib. 1. cap. 16, de occult. nat. mirac. ait, *Magni refert qua quis ſit ætate, qua educatione, quo ſydere cœloque natus, quali temperamento ac corporis conſtitutione exiſtat, quorum denique conuictu & conſuetudine vtatur, quæ humorum, tum copia, tum qualitas, hæc enim magna ex parte animæ mores conſtituunt.* Vides ex humoribus vt ducat mores. Sed vtcunq; ſit, hanc rem totam aperte mutuantur Philoſophi & medici ab elementorum & mixtura & temperie in fabrica corporum, nunquam ad aſtra auolant. Et ſtellas fatetur cum Ptol. Pontan. ad ſen. 7. in humores & qualitates agere,

& per has in animam: Et ediuerſo inquit Scaliger. *Tametſi animæ ſubſtantia eſſe quit ſine corpore, tamen dum eſt in corpore, ſine corporeis obiectis non poteſt initiari ſacris, vt ita dicam, intellectionis, ergo ne agere quidem.* Vide vt actionis meminit, non paſſionis, & ab externo. Et Pontan. loco dicto, ea quæ de ſtellis tradit Aſtrologus ad Phyſicas rationes debet accommodare. Et cum omnis Phyſicus ſine vlla aſtrorum ope conſtituat corpus ex ſuis principiis, illi animam infundat, vnde actiones: bonum habitum adiuuet, ſanitatem confirmet, morbos curet, plurimaque labore ſuo naturali adiungat robori, & pro coalitione duorum, & temperie, bonas vel malas concedat huic toti operationes, & hæc omnia ſine vllo aſtrorum nomine, ſane quam ſæuiant, aut ſecus in nos ſtellę ego non video. Et cum ſtellæ tam ſint à nobis remotæ, qua via actiones moresque hominum, qui ratione præditi ſunt, temperabunt? Et cum generi animalium eſt omni naturaliter inſita, tum mali declinatio, tum boni appetitio, homo tamen propter rationem, cuius eſt particeps, multo quam cætera animalia, & mala ipſa cautius declinare, & bona quæ videntur ſibi adiungere commodius poteſt, duplici auxilio fretus, & communis naturæ, & propriæ rationis prærogatiua.

His Thomas Aquinas fautor eſt lib. de Sortil. *Stellæ,* ait, *Quarum eſt certus motus, propius humanas reſpiciunt actiones quam auguria, tamen quæ agimus neque dirigunt aſtra, neque procedunt ab aſtris.* Quæ Fernel. his obiicit, niſi præſens me cura auocaret ad ſe, diluenda ſuſciperem, quæ fortaſſe in ocio: modo reſpondeat Paracelſ. lib. 2. cap. 7. Paramiri, ait, cauſas innatas morborum non retulerunt quidam medici ad ſpecificam ſcientiam, ſed cum imperitis aſtronomis latrarunt, eſſe eam melancholiam, phlegma, aut ſimilè aliquid. Saturnus ipſius aſcendenti præeſt, vel eſt eiuſdem naturæ cum aſcendente: Homo nihil accepit ex aſcendente, ſed

limbo

limbo: Dei manu factus eſt, non aſcendente, nec Planetis, nec conſtellatione, aut iſtiuſmodi aliquo, tanquam iſta cogerent ipſum eſſe macilentũ, vel pinguem.

Sane ſi tanta, ac volunt aſtrophili ab aſtris, capitibus noſtris impenderent mala, (hoc enim huic ſectæ mortalium familiare eſt ſemper canere miſerias homini venturas) credo mundum depoſitis aliis, quæ anxie curat, negociis, huic malo voluiſſe obuiam ire, neq; permiſiſſet artem ſingulis neceſſariam apud deliros augures, & ſuperſtitioſos Metopoſcopos hucuſque deliteſcere. Et quamuis Aſtrologi habeant quoſdam medicos, qui aſſerant calorem, qui ſpiritui inſidet noſtro, diuiniorem eſſe elementari, & ita ab Sole, aut aſtris mutuatum: tamen ea eſt quorundam opinio, non recepta veritas, & verius prauum doxon, ac præceptor meus D. Hucherus Cancellarius regiæ Academiæ Monſpelienſis Doctor medicus, & Regi Gallorum à conſiliis eſt dicere ſolitus, quam paradoxon. Et quamuis dicat Galeott. cap. 14. de promiſc. doctrin. morbos ab Planetis pendere: tamen ab alio fonte deriuatos nulla aſtrorum habita ratione medici eos cito, tuto, & iucunde curant: & quos ille omnes aſtris dat, deprauationi naturali concedit Paracelſ. putatque eos ab aſtris non pendere, qui medicaminibus naturalibus & terreſtribus ſanantur, lib. 2. cap. 13. ſect. 2. magnæ Chirurgiæ: Sed omnes qui curam admittant, nos vegetabilium, animalium, & mineralium vſu reſtituimus: qui ab aſtris igitur dependent quærendi ſunt ſupra omnes alii. Et Hollerius ad præfationem rei Chirurgicæ, multis elementa ſordent, & quicquid elementare eſt: hinc noua elementorum ſoboles, hinc æther & cælum ipſum ad remedia exprimenda ſunt. his taxat vir doctus temporis ſui vanitatem: ſed neceſſario & ſtatis temporibus fiunt aſtrorum concurſus, igitur & neceſſario morbos producent, quos illis acceptos refert Fernel: atq; contingenter ſi operantur, mutuis telis ſe conficiant Ga-

niuett. & Fernel. Dicit enim Ganiuet. opuſculo cœli enarrant, influentia cælorum non operatur neceſſario, ſed contingenter. Et Ptol. in Centil. iudicia quæ tibi trado ſunt inter neceſſarium & poſſibile: ſed morbi neceſſario eueniunt, & Pandoræ pyxis iamdiu ab Epimetho diſperſa eſt in omnes, qui ab eſſe ad corruptionem tendunt, cui famulantur morbi: Quare rectius medici peſtem, & morbos aëris fœtori, vel alii aëris tacitæ machinationi aliquando concedunt, quæ Aſtrophili ſtellis tribuunt, qui quidem aër organum inficiat corporis, & ei aëris infectioni, quæ ex terræ fæcibus & aquæ cõtracta ſit: & huic conſulunt, non conſtellationibus, ſed depuratione aëris, ſic Hippocrates diſcutit ignibus peſtem: ſic annis ſuperioribus, cum apud *Neruios*, quos modo *Tornacenſes* vocant (vt refert Lemnius lib. 2. cap. 10. occult. miracul.) morbus popularis crudeliter ſæuiret, totaque vrbe graſſaretur, milites præſidiarii, qui in arce excubias agebant, machinas, tormentaq; bellica puluere bombardico non globis oppleta vrbi obuertunt, eaque ſub diei, noctisque crepuſculum incenſo funali explodi curabant, quo effectum eſt, vt ſonitu violento, fumantique odore aëris contagium diſcuteretur, ipſaque ciuitas à peſte facta ſit immunis, ac libera: Sed & medici non naturalium abuſui dant naturalium vſum. Et Ganiuet. cap. 3. differ. 1. Amici medicorum dicit, etiam motu calorum ceſſante, non futuram quatuor elementorum machinam ocioſam: ſed ex elementis nos, & bene nos habebimus cum elementis ceſſante cœlo, & ſine aſtrorum influentia, cum ex iis viuimus, de quibus eſt noſtra cõpoſitio. Sed habeo Fernel. qui omnes morbos refert acceptos coniunctioni ſyderum, toto fere, lib. 2. de obdit. rer. cauſ. Verum perinde mihi facere videtur ac Ariſt. qui in natura ſecunda non inueniens ortus & interitus cauſſas, eas Zodiaci obliquo motui dederit: Et Fernel. qui tacitũ quid videns ineſſe morbis, non cœlo

primo,

primo, non firmamento hoc dat, ſed concurſibus ſyderum, arbitratus ſatis eſſe aliquid dixiſſe quod probabilitatem ſaperet, cum ratione nulla id confirmare poſſit: imo quod ipſemet cogitur infringere, ait enim cap. 13. lib. eiuſdem: *Ne quid autem ſuſpiceris, aut metuas, non magnopere contendo, id ipſum de quo noſtra eſt diſputatio a cœlo ne prodierit, an intus ſit in corpore genitum, vti & venena non pauca, ſatis ſit in re controuerſa demonſtrare id quicquid eſt, occultum, nec ſolius intemperiei ſobolem.*

In aſtrorum & Aſtrophilorum patronum ſuæ rei diffidentem, & ſtellis omiſſis, ac debet, corpora meditantem morboſa: ſi præterea vanitatem huius technę repercutere eſſet animus, plura, & his meliora adferri poſſent ab aliis mutuata, ſed meis his contentus amando lectorem ad Cicer. lib. 1. de diuinat. Polyd. Virgil. lib. 1. cap. 23. Plin. 7. Gell. noct. Attic. 14. Cæl. lib. 8. cap. 9. & lib. 7. cap. 9. & Polydor. lib. 1. cap. 17. Picum Mirandulam, Iuuenal. Satyr. 6. & alios. Adde his hanc late famatam Diogenis ſententiam, *cum* ait: *mecum pondero prouinciarum imperatores & regnorum, philoſophos, medicos, & id genus alios, videre mihi videor inter omnia animalia ſapientiſſimum hominem: protinus cum animum aduerto ad Metopoſcopos, Augures, Genethliacos, fati repertores ex aſtrorum influxu aut refluxu, & ſi quæ aliæ orbis corruptelæ, & ſubactæ mundi ſordes his ſimiles:* ac ego ſentio nihil humana natura ſtultius, nihil quod æque inſaniat, & rationem contemnat. Denique meis & aliorum omnium votis ſatisfaciat Paracelſ. diſcipulisque degeneribus hoc in aurem inſuſurret ex lib. 2. cap. 7. Paramiri, ait, *Notate hoc loco in Aſtronomia errorem, qui ita ſe habet: aiunt impreſſionem ex cœlo prouenire, quod falſum eſt, Cœlum enim nihil nobis imprimit: formam & imaginem obtinemus ex Dei potentia, abſque noſtra opera, imaginesque permanemus pro noſtro arbitrio: Sic etiam omnia membra ſunt manu Dei elaborata & for-*

mata. Conditiones, proportiones, mores, aliaq; ſimilia poſſidemus ex inſpiratione vitæ, cum qua hæ res nobis ſunt innatæ. Et paulo poſtea: *Quod dicitur inclinatione hoc vel illud fieri, vanum eſt, veluti iſtum hominem habere inclinationem Martialem, Saturninam, Lunaticam, vel ſimilem aliquam, vel neceſſario furari, magnus eſt error, & turpis ſimulatio. Recte dicitur Mars ſequitur iſtum hominem, maioris enim eſt homo quam Mars, vel alius quiuis Planeta. Qui vero cœlum nouit & hominis magiſtrum, non dicit illud, quin potius hoc dicit, hominem adeo nobilem eſſe apud Deum, ac tanto haberi in precio apud Deum, vt ſit ipſius forma depicta in cœlo cum omnibus actionibus, vita, bonis & malis: hoc autem non eſt inclinationis. Et ipſimet ex parte hunc errorem animaduertunt, dum inquiunt, aſtra non neceſſitant, quod nihil aliud eſt quam aulicum aliquod pallium ſine penula aulica. Duo cœlum ab homine eſt ſortitum, quorum alterum quidem eſt, quod hominem depingat in ſeipſo, vnde illud falſum eſſe probatur, hunc hominem eſſe Saturninum, illum Iouialem, aut ſimile quidpiam: hoc enim idem eſt, ac ſi quis adumbratus atque depictus, poſtea ab eadem imagine ipſe ſuam inclinationem habere dicatur, vt quicquid agat ab iſta imagine habere dicatur. Alterum vero eſt præludium: ſiquidem ita ornatum & ſagax cœlum eſt, omnium vt hominum futuros labores, mores, geſtus, & quæcunque ſiunt alia, præludat. Illud vero præludium anne erit inclinatio? quaſi dicas, præludium cogit hominem, vt hoc faciat, cum omnia iſta præludia ſint ſolum præſagia, quæ futura prænunciant abſque inclinatione, impreſſione, conſtellatione, & ſimilibus, hoc eſt, illud hypochyma, hæc eſt viſcoſa caligo, quæ Aſtronomorum offuſa eſt oculis, quæ ſi ipſis indicetur, ægre ferunt, ac murmurant. Quod ſi deinde quiſpiam erroneam & contra fidem conſtitutam artem voluerit abrogare, & veram ſequi, non pudet ipſos proclamare eſſe Necromantiam.* Hæc ille.

Si quid hic dicendum ſuperat, Lucianus in dialogo

ait,

ait, vanos huiuſmodi homines veteri græca comœdia male audiſſe, quippe ſpeculatores, altiloquos, aëramnbulones, nubicolas, & pulicis ſaltus menſores per conuitium appellatos. Phauorinus itidem, quem ſequitur A. Gellius lib. 14. cap. 1. Genethliacos, qui de motu, deque poſitu ſtellarum dicere poſſe, quę futura ſunt, profitentur, dicit, aut multa tentando imprudentes repente incidere in veritatem, qui ipſorum, qui eos conſulunt, multa credulitate ducente, peruenire tandem callide ad ea quæ vera ſunt, & idcirco videri illos in præteritis rebus, quam futuris veritatem facilius imitari. Iſta tamen omnia, quæ aut temere aut aſtute vera dicant, præ cæteris quæ mentiuntur partem eam nō fieri milleſimam. Denique aut aduerſa euentura dicunt, aut proſpera. Si dicunt proſpera, & fallunt, miſer es exſpectando. Si aduerſa dicunt, & mentiuntur, miſer fies fruſtra timendo. Si vera reſpondent, eaque non ſunt proſpera, iam inde ex animo fies miſer, antèquam è fato fias. Si felicia promittunt, eaque ſunt euentura, tum plane duo erunt incommoda, & exſpectatio te ſpei ſuſpenſum fatigabit, & futuri gaudii fructum ſpes tibi defœdauerit: nullo igitur pacto vtendum eſt iſtiuſmodi hominibus res futuras præſagientibus. Et Mantuanus Æglog. 6.

Qui numerat ſtellas, & ſe comprehendere fata
Poſſe putat, ſtultus.

Iam tandem vt eo reuertar vnde digreſſi ſumus, inuolucris ſuis adumbrata eſt igitur hæc tota quæſtio de formæ in corpus introductione per ſtellas, & corporum cœleſtium lucem & motum, & qua ego via, eam ex latibulis euocare oportet: nec deſunt alii philoſophi veteres, qui mecum credant animam in corpus immitti à primo ſolum agente, & ſine vllo motus & lucis adiumento, quorum ego ſententiam, cum ea medicorum, ſi de ſede conuenerit, conſentientem offero:

In punctum cordis medium, quod corporis vnum
Eſt medium, a medio infunditur æthereo
Scilicet Altitono, mundi qui dicitur eſſe
Centrum, animus, buſtum qui regit omne ſuum.
Corporis hinc rimas diffunditur omnis in omnes
Vt calido currum iunxerit ipſe ſuum.
Diuinus calor hic ſe iungit ſpirituali
Vinclo, animam retinet quam ſimul inſinuat.
Intrat in humores hæc per ſpiracula, membris
Deinde per humores inſeritur facile.
His mediis tetrico læſis ſymptomate quouis.
Cum calido curru ſe legit ipſa breui.
Inque cor, vnde abiit, celeri pellente recurrit
Sydere, nam morbi vulnera ferre nequit.
Cordis natiuo tremuli cedente calore
Deſerit hoc, curru concomitata ſuo.
Alta potens, ſedes quas liquit, læta reuiſit,
Immemor obſcuri carceris, vnde abiit.

En naturæ amiciorem ſententiam, quam ſi velint Chimici pro vera agnoſcere, fateantur aliud eſſe foſſilium formas eliceri ab primo agente ex materię potentia, & longe aliud formas humanas, aut ex promtuario deſumptas, aut noue effictas, quotidie demitti in hæc noſtra corpora efflatu primi motoris efficaci, ſine ope cœleſtium corporum. Et vt falſum eſt illud Quercet. fol. 31. Sulphur introducit formam in argentum viuum: ita & iſta claudicat, aſpectu & influxu aſtrorum introduci formas in metalla, cum, ac dixi, quæ ex materiæ potentia educuntur, & materiam potentia inhabitant, in eam introduci non poſſunt aliunde, cum ibi ſint: & vt ſit quod dicit Ariſt. etiã quo ſenſu volet Quercetan: nũquam tamen efficiet quod vult, quia per motum & lucem corporum cœleſtium introducitur forma in hominem, ideo & hac eadem vi educitur illa metallorum ex materiæ potentia: quia homo & Sol hominem generant, ideo quid neſcio cum Sole metalla

gene-

generabit, cum hoc in comperto ſit apud omnes, formas humanas eſſe: deinde introduci, non item eas metallorum (vt inepte aſſerit in Annot. Chimicis Flamellus) quæ tum ſunt, cum eductæ fuerint ex conuenientis materiæ potentia, & vt diuerſæ ſunt res, & variæ naturæ, ita prima natura in his & faciendis fabre, & inſinuandis in ſua corpora varie agit, aliam atque aliam viam ingreditur vt propoſito gaudeat fine: alioqui non pluris eſſet animare hominem quam muſcam, & quia mortua tepenti cinere reſtituitur vitæ, ita & cadauer humanum reſtitui poſſet.

Sed ſane mali erroris ſibi conſcius Quercet. ait cœleſtia eſſe cauſam & remotiſſimam & generaliſſimam coalitionis, & ita remotiſſimam ego dico, vt nunquam propius accedere queat, & ſi accedat inuitis fatis, fortuitam eſſe omnem metallorum concretionem, ac eſt dictum: & quod Quercet. planetis & ſtellis tribuit, contra Ganiuet. Aſtroph. cap. 4. Amici modic. & cap. 5. Omnia quæ in terrę viſceribus concreſcũt vni Saturno concedit, quare qui rem cum Aſtrophilis habere vult, iis debet credere Quercetanus, at Saturnus cum frigidus & ſiccus Planeta ſit, metalla non calore, quem non habet, ſed frigore proprio efformabit.

Præterea caloris proprium eſt rarefacere, ſecernere, liquare, & ſi aliquando indurat, id fit per accidens, humorem vt depaſcit: aut ſola priuatione, dum per caloris abſentiam, & non impediente ſua pręſentia res concreſcunt, ſed omnis cauſa quæ efficiens proximum eſt, & cui effictionem ſuam refert acceptam res efformata, primo & per ſe illius rei quam fingit, ortum penſare debet, & illi immediate aſſiſtere, non per accidens, non fortuito, aut priuatione ac Chimici coguntur ſomniare.

Iam ſi nec calori nec frigori efficere & coagulare metalla damus maſculis qualitatibus, multo minus illis effœminatis, humido & ſicco. Sed & Paracelſus

occurrit libr. Paragrani capit. de philoſophia, qui, vt ſemper, Quercetano infeſtus, ait: *Mercurius & ſulphur metallorum ſunt principia, Sal coagulat.*

En omnes Chenæi rationes euerſas, en ſulphuris efficientiam exploſam, en nouam opificem, quem ne ſomnians vnquam iſte bonus vir cogitauit, ita miſere impingit in ſcopulos, qui monarcham artis ſuæ non legerit, non viderit, non ſequutus ſit. Sed hanc fabulam, dum vterque cudat, dicimus nulla qualitas primò & per ſe poteſt agere, ſed omnis actio, ad ſubſtantię compotem formam pertinet, quæ principium quoddam eſt efficiens, quare qualitates iam dictæ ab opificio metallorum primario exulabunt. Et ne ego hæc aliud agens dicere videar, audi Ariſt. referente Fernel. lib. 2. abdit. cauſ. cap. 1. Is enim philoſophos inſectatus, qui corporum naturalium facultates atque vires ex calore & frigore deducebant, rati ex his & per hæc omnia confici: planum facit demonſtratione, eas qualitates inſtrumenta duntaxat eſſe cauſæ cuiuſdam præſtantioris atque ſuperioris, quam & naturæ nomine inſigniuit. Nam qui has dicet primum & per ſe agere, perinde faciet ac ſi ſerræ, aut cuiuis inſtrumento efficiendi cauſam, poteſtatemque tribuat: & perfectione formaque rei exterminata, veram amittet cauſam, inſtrumentis actiones feret acceptas, quæ per ſe tamen ocioſa manerent, niſi formæ vi cierentur. Sed dum lib. de fœtus conformatione Gal. in quæſtionem adducit an Deus, an forma fœtum abſoluerit, ait: *Oratio de anima ea qua particulas conformarit, eſt incerta omnino, minimeq; demonſtrari poteſt:* At certe ea manifeſte mihi indicare videtur artificis qui nos condidit artificium. Et concludens Summam, ait: *In fœtuum conformatione & ſapientiam & potentiam video, neq; poſſum exiſtimare, eam quæ in fœtu eſt animam quidem, ſed naturam appellatam, fœtum ipſum conformare: vel quæ non modo ſapiens non ſit, ſed omni prorſus ratione careat.* His profecto ſtatuit Gal.

fœtum

fœtum non à ſemine, non ab vlla rationis experte fa-cultate, ſed à ſapientiſſimi quadam & potentiſſima vi extrinſecus appellente effingi. Et lib. 1. de ſemine ait: *Si non aliis viribus natura ſeminis plantam efficiat, aliis animal, eandem in vtriusq; rationem inuenies: ita de reliqua mundi ſuppellectile metallis & lapidibus cenſendum.* Et 2. de temper. ait: *Minus recte mihi facere videntur, qui ſolis qualitatibus formandarum partium cauſam aſſignant. conſentaneum enim eſt qualitates organa eſſe, formatorem vero alium.* Statuamus igitur eſſe primum agens, qui ex materia conuenienti ſuis in loculis certis diſtributa eliciat certam, & hinc vel illi materiei conuenientem formam: formam autem iam eductam inſita ſibi vi corpus metalli abſoluere & perficere opera ancillantium ſibi & facultatum & qualitatum, quæ ipſæ per ſe ſunt cauſæ nec proximæ, nec remotæ coalitionis metallorum: niſi vis dicere malleum & ſecurim eſſe cauſas vel proximas, vel remotiores, quod ſtatuarius eis vtatur ad ſtatuam delineandam.

Huic menti, ne ego cum Chimicis temerarius innouator videar, dat manum Bellonus libr. 1. capit. 52. memorabil. ait enim: *Aurum coquitur ſolius naturæ beneficio, non elementorum, non maris, venti, aut alius cuiuſuis opificis, qui illius coctionem non retardat, non accelerat.* Fatebuntur puto Chimici primum agens eſſe principem & vniuerſalem opificem, ſed in natura ſecunda quærent à me formatricem cauſam. Equidem ſane eam iam dedi in diſputatione materiei metallorum, dixiq; eſſe qualitatem, facultatem, ſeu vim ſeminalem in materia tum forma deliteſcentem. Hanc ego iam interpretor nihil aliud eſſe quam primi motoris efficacem poteſtatem, operantem vim, & neruoſam actionem impreſſam, & rei efformandæ inſidentem, quæ quia vacat nomine ad varios ſcopulos allidit medicos, dum ſuam formatricem in Embryone quærunt cauſam, & iam philoſophos in re metallica.

Sed ne Philoſophi, Medici Phyſici, aut Chimici ſalebris tempeſtatum præterea abrepti nauem impingant, do ego formatrici cauſæ, ſeu Spiritui mechanico, ſeu opifici: vt Paracelſ. vocat lib. 3. Param. cap. 1. nomen non ineptum, ſed ſalubre, non quod vnius generationi conueniat, ſed omnium quæ ſunt, non quod parce, ſed plene enunciet rem totam, & ſignificanter, vocoque Elpheſteriam, cum pluſquam infantia ſit fateri, rebus quibusque diuinitus quidpiam eſſe datum, neque tamen id diuino nomine dignari. Habet Elpheſteria noſtra diuerſa inſtrumenta, & inferiores cauſas vel ſuccenturiatas, quas ſibi in opus adiungit. In ſtirpium generatione, ſi quid Ariſt. cenſet, vtitur Spiritu ac internuncio: Ineſt enim quiddam ſtirpibus cordis loco, idque media inter radicem & caudicem ſede, è cuius velut ſcatebris ſpiritus naturalis fuſus in vniuerſam deriuatur ſtirpem, & cuius interuentu, vna toti ſtirpi anima inſidet. In animantibus vtitur Elpheſteria noſtra Paranymphis, ſpiritu per totum fuſo, cui ſalutaris ineſt & vitalis calor, illius ſedes ſit cor, aut hepar vt voles: hoc vinculo, ſi eſt à veteribus recte demonſtratum, anima in corpore retinetur, ſingularumque partium vtitur formis, veluti gradibus, quibus ad ſupremam illam totius formam promoueatur. His illæſis initum coniugium formæ cum ſubiecto feliciter indiuulſum permanet: at læſis, aut vi expulſis, neceſſe eſt vel diuortium ſtatim conſequi, vel inertem certe & otioſam formam in ſubiecto relinqui. Deniq; in metallorum & lapidum coagulatione habet pediſſequas ſuas Elpheſteria noſtra, calorem & frigus locorum & matricum diuerſarum, pro regionis & terræ diuerſitate innatas aut acquiſitas proprietates, etiam aquæ fodinas percurrentis variam temperiem, & actionem, vt aut celerius aut tardius lauat, mundat, concinnat. Et hęc de cauſis metallorum & ſymphiſis modo dicta ſufficiant. Reliqua eſt tranſſubſtantiatio omnium metal-

lorum

lorum reliquorum in vnum aurum, in cuius explicatione fuſius examinabimus cum diuiſione, & iam dictas metallorum cauſſas, vt occaſio ſeſe obtulerit.

Inter eos qvi hoc æui ſe nimiæ proſtituunt curioſitati, & rerum occultarum inquiſitioni, meo iudicio illi cumprimis admonitore opus habent, hominumque bonorum commouent miſerationem, qui continuis flatibus ſperant furnos ſuos aliquando parituros Cræſi diuitias. Nam cum ætatis (quæ bonis artibus accommoda eſt) tum pœnæ (quæ ſenectuti viaticum parare potuit) perditio inextricabilis, omnis expers fructus ad lenitatem, miſericordiamque hominum mentes reuocare (vt plurimum) ſolet. Quæ ratio inter alias me mouit meæ officinę etiam aliqua adferre medicamina, quæ boni conſulant, ſi aliquando ipſos à fruſtraneo labore reuocare poſſent. Addam quorundam Chimicorum induſtria præcepta, vt quid de tota re tam rara, tam incognita cum ciniflonibus circumforaneis in commune colunt, iudicare æquus poſſit lector.

Tria, ni fallor, hominum ſunt ſtudia, quæ Chimico aurum inquirunt. Sunt pauperes, qui vt præſenti conſulant neceſſitati præclare actum cum ſe putant, ſi arti huic operam nauauerint. alii, qui vt veræ Philoſophię nomen dederint, & non pœnitendos in ea fecerint fructus, affectata curioſitate abripiuntur ad naturæ ſecretiora abdita ſerius inueſtiganda: reuera tamen perſonata hæc eſt ratio, quæ ſane vtilitatis lenocinia dulciter blandientia ſibi proſequenda inſtituit. Reliquus ordo eſt diuitum, qui ſtimulis venturi honoris & fortunæ ſalubrioris irritati, ad quæ grandia magiſtrorum huius artis promiſſa incitant, certi ſpe, hanc ſubeunt technam. Et licet ex propoſita cuilibet horum fine non ſit difficile iudicare quis cauſa vincat, tamen in hoc videntur omnes conſpirare, vt deæ pecuniæ bel-

lum indicant. Ad hoc ineundum tam graue bellum, conſilio magnorum virorum vtuntur, Mercurii Triſmegiſti, Geberis, & aliorum ex Arabum familia: qui etſi artem obſcuritate inuolutam poſteris reliquerint,tamen diligenti nepotum opera ex labyrintho noctis, magnaque tandem ingeniorum præſtantium vafritie erutam eſſe dicunt, & manum elaboratricem illi rei à nepotibus adhibitam eſſe, quam aui magnificis ornare verbis, & diutina inueſtigatione contemplari ſatis habuerunt.

Sed vt hæc maiorum authoritas calcar addit ex ſe currentibus,ita & ſopitos curioſitatis in hominum pectoribus lucri flabellis excitat, ad ea quorundam præſcripta huius æui ruminanda, quæ paſſim operis excuſſa proſtant venalia, & niſi horum exſpectationi ſatisfecerint authorum, actum putant in nobis Dei de imagine,qua homines ornatos eſſe voluit,vt quam ingenioſe poſſint naturæ ſecretos theſauros in vſus publicos depromant: ipſam diuinitatem,vt myſteria reuelauerit proauis multa,ita & quædam indelibata ad tempus ſeruare, quæ denuo publicet, vt hac ratione ſtertentem alte incitet mundum ad nunquam ſatis explorata ſua opera prædicanda. Sic Indos occiduos non ita pridem manifeſtauit: ſic puriorem vegetabilium, & aliarum rerum ſubſtantiam ex corporibus elicere: ſic lapidem, ſeu proiectionis puluerem, quæ metallorum inſeruiat cum tranſſubſtantiationi, tum multiplicationi,ex certis eruere mixtionibus docuit.

Et vt fides ſit tam bellis prædicationibus, aſtruunt intra terræ viſcera eſſe materiem certam,omnibus metallis communẽ,quæ omnes admittat ſibi cõuenientes formas, & quæ inſtinctu natiui caloris in terra incluſi poſt varios annos pura & liquida euadat:Deinde firma & ſolida, atque ita pedetentim concoctione amittens imperfectionem, acquirat ei ſpeciei perfectionem

conue-

conuenientem, quam natura illi proponat exhiben-
dam: ſed perfectionem, quæ auro, deinde argento,
poſtea cæteris & ſuo ordine aſſideat metallorum ſpe-
ciebus. Hoc iacto fundamine, ſuperſtruunt, poſſe ar-
tem ad naturæ imitationem, ſed multo breuiori tem-
pore, & calore artificiali ex eadem iam dicta mate-
ria metallorum proxima (quam ſe inuenire etiam te-
ſtantur) corpus formare, vt auro perfectius multò, ita
& quod certa methodo poſſit alias quinque metallo-
rum ſpecies imperfectiores in aurum perfectiſſimum
tranſmutare, experientiamque matrem huius ſciẽtiæ
benigniſſimam, fabam in libo, vt aiunt, ſæpius adin-
ueniſſe.

Sed hanc rem totam luxatis inſiſtere pedamentis ſi
probauero, & homines incautos ad bonam frugem
me perducturũ ſperabo, qui huic idioticæ perſuaſioni
nomen dederunt.

Primo, vt fateor naturam ſemper habere apud ſe ali-
quid noui, quod mortalibus communicet aliquando,
ita dico rerum certa diuiſura admonitos voluit, ne te-
meritatis euecti alis, ſe abſorbendos fluctibus, ac Ica-
rus, obiiciant tenebricoſis. Sũt enim res quæ ac ſubie-
re animum humanum, ita & in lucem continuo exiuẽ-
re: ſic typographia, ſic bombardarum fulgur horren-
dum ſonuit. Sunt aliæ, quæ nullo cedant ingenio, vt
diametri ad circumferentiam proportio, motus trepi-
dationis in cœlo, & fluxus ac refluxus maris indubia
cauſa: ſic irretit curioſitatem his retinaculis, ne ad alia
æque impoſſibilia, aut ſaltem quæ ignota hominibus
vult eſſe natura, animum aduertant. Chimicus hic vt
annuit rem ſuam ab arbitris quam longiſſime remo-
tam eſſe, ita eam ab impoſſibilitate tutam ſibi aſſerere
non dubitat: & vt eſt (ait) totius philoſophiæ pars o-
ptima, ita dignam eſſe cui adhibeatur diligens cultura:
ego autem contra, eam magnifico verborum appara-
tu ornauiſſe plures, vt hiſce modulationibus aliquos

inuitarent ad praxim eius rei, quam ipſi animo conce-
perant,& poſſe fieri in animum forte induxerunt ſibi,
ſed contemplatione hac contentos,praxim totam po-
ſteris intactam reliquiſſe. ſic primi mathematici dia-
metri proportionem vnguentis delibutam: ſic Aſtro-
nomi trepidationem delicatule habitam; ſic Phyſici
fluxus marini frugiferam notionem,ſed viribus huma-
ni ingenii imperuiam, poſteris exquirendam, ſi fieri
poſſet,reliquerunt: ſed quia hi artium humanarum fi-
lii rem quam apprehendere nõ poterant, poſteris cõ-
mendarũt magnifice indutam, ideo peruiam eam no-
bis eſſe,non eſt qui dicat.

Quare concludo nunquam hoc ſeculo Chimicos
aut ciniflones poſſe efficere opus, quin opus ſemper
fiet: ſed nolo interea rerũ effictioni negare materiem,
cum natura ex nihilo nihil faciat, & quæ apud nos ha-
bemus, elaborata metalla teſtantur præuiam materiẽ:
ſed eam eſſe quam Chimici ponunt dicere nequeo,
mirorque Melanchthonem & alios Neotericos non
infimi nominis philoſophos Chimiæ hac in parte ſub-
ſcripſiſſe: ac legenti iſta vt patuit, ita & fortaſſe adhuc
clarius eluceſcet; reſumere enim quædam dicẽdorum
cogit ſeries. Vt ſperarunt ſe Chimici veram metallis
dediſſe materiam,inferunt, cum ſit proxima omnibus
metallis communis materia, & quæ ſe transformet in
metalla perfecta, etiam erit hæc materia ſemen id, ex
quo efficitur aurum, quodque artis filiis notum eſſe
conuenit: cognouiſſe hanc ſementem quoſdam inter
antiquos dicunt, neque ignotam aliquibus huius æui
artis filiis præſtantibus: addunt mirum videri non de-
bere,ſi innoteſcat,cum ea arborum,herbarum, & ani-
malium pateat etiam vulgo hominum, neq; ideo rem
eſſe deſperatam, quod eam taceant profunditates ter-
ræ,cum & vltimos cœlorum angulos animus expiſce-
tur humanus. Reſpondeo cum metallorum materia
proxima ex Chimicis ſit nuda potentia in mineris, nũ-
quam

quam eam à locis ſuis eruent: quod enim eſt actu id haberi poteſt. Deinde dico, materiam eſſe metallis certam, non tamen vnam proximam omnibus communem. metalla dicit Geber 2. part. lib. 1. Summæ perfect. cap. 11. ſpecie differre (qui cum ſit vnus optimus, qui vnquam hactenus fuit in hac arte magiſter, & vnde alii quos legerim: plurimos enim legi: id habent quod ſe habere ſperãt, hos inquam magiſtrum de ipſis bene meritum arguere mendacii, vt ſtatuunt, omnia metalla eiudem eſſe ſpeciei) & diuerſis ſpeciebus diuerſa eſt materia proxima. nam non eſt eadem gallinæ & cani, equo & homini, plantę & piſci, vlmo & platano, braſſicæ & rapæ. Quare auro erit ſua, & plumbo ſua itidem.

Quæ autẽ ſit iſta cuilibet metallo certa, vt ego ignoro (qui antea quam proximam potui omnibus aquam præſcripſi communem) ita neminem legi, qui eam me docuerit, aut qui eius meminerit. Ariſt. cũ ſuis aliam. Agric. aliam. Chimici aliam; omnes tamen hoc dicunt materiam ſe ſcire ex qua metalla: ſed illam ponunt remotiſſimam illud Chaos vniuerſale, ſeu mauis primã dictam materiem: proximam elementa, deinde vapores, halitus, argentum viuum, ſed proximam cuique ſpeciei ſuam (vt reliquis omnibus quæ ſunt ſub Sole) nullus dat. Quis enim mediusfidius rem in nouiſſimis mundi deliteſcentem latebris è veteris vetuſtatis eruet cauernis? quis interpres? qui rerum nuncii ſenſus ad nos noua nuncia retulerunt? vnde nõ eſt, qui vnquam rediit. Vni ſane inter omnes mortales felices medici, qui materiæ differentias, circa quas verſantur, optime tenent: his proximi Philoſophi, qui gallinę ouum ſubdunt, ſemen plantis, & aliis ſpeciebus ſuum. Et quamuis hæc rerum peruia ſint oculis ſemina, non inde tamen efficient Chimici etiam ſuorum id argentum viuum poſſe ab ipſis alia, quã animi ratiocinatione, comprehendi, donec experientia illi occupatiorem adhi-

buerit inueniendæ medelam, quam hactenus; fateorque eos integre ſatis de re, quam ſenſus adhuc ignorauit, diſputare, vt aiunt vegetationi Mercurio ſuo opus eſſe: deinde vt ſimilitudine quadam cum ea, in quam abire debet ſubſtantia, conueniat: vanum enim eſſet affirmare ex ouo fieri arborem, ex glande auem: ex Mercurio tum aurum, tum plumbum, cum cuiq; ſpeciei ſua eſt, ac dixi, materia proxima.

En vt optime de hac re ratiocinentur Chimici! ſed ideo eam ſenſibus innoteſcere ridiculum eſt dicere, atque Philoſophorum ſapientem, Rhetorum oratorum, Horatii aut Scaligeri Poëtam, quos affabre ſuis coloribus depictos illi ſcripto deprehendunt, quos tamen in rerum natura vt non vidimus, & futuros deſperamus: ſed vt ſit male occupatis hominibus in quã agant, materia, adhuc probare reſtat, quibus nutibus, quo calore, quo regimento in hanc forma ab ipſis inditur: quæ tamen res non eſt parui momenti, etſi ars imitetur naturam, ſit illi aliquando auxilio, quam tamẽ æquare vllis in actionibus nequeat. nam vult Fernel. omnes omniũ rerũ formas extrinſecus aduenire, lib. 1. de abdit. rerũ cauſis c. 7. Si ita ſit, prodãt Chimici an vt in materiæ præparationẽ incumbũt, ita & illi formarũ externo exhibitori ſint Chimici à cõſiliis, an mentem pſpectã habent, an neceſſitatẽ illi imponere poſſint, vt materiei præparatę Chimice ipſe velit, & velle cogatur cõtinuo paratas habere formas, quas Chimici acceptas polito corpori indãt pro arbitrio, vt hoc ſit aurũ, aliud ferrũ, &c. Sed excluduntur oua ab artifice calore, & ita temperato aut in furno, aut aliter, vt naturalem æquet, quod tamen fieri poſſe Geber 2. part. libr. 1. Summæ cap. 10. conſtanter negat. Condenſatur aqua ſalſa in ſalem: ſi tum inanimis tũ animatis auxilio eſt ars, quid eſt cauſæ, quin etiam agat neruoſe in metallica? ſed vna hirundo nec facit ver, nec argumentum à particulari regulam ſtabilit vniuerſalem, pręcipue in rebus adhuc

orbi

orbi incognitis, cum quod vni conuenit pluribus non conueniat. Deinde alia eſt ratio eorũ, quæ efficientem ſuam nobis exhibent cauſam, & alia eorum quæ non tacent, vel ſi monſtrent, non tamen offerant quæ à nobis poſſit tractari, & pro arbitrio vſibus accommodari. Nam etſi Necydalus minimo calore, ſi ſub ala humana tepida ſemen geſtetur, vitam accipiat, non tamẽ inde efficitur bouem arte generari, quia natura vt quorundam inſectilium ortum à nobis comparabilem eſſe demonſtrauit, ſic aliorum penes ſe eſſe voluit ſolum. Iam ſi pace Gebri liceat mihi gallinam ex ouo elicere, videbitis rem eſſe parui momenti, & ſolo fotu nos indigere, atque in ſemine bombycino diximus. Puluinaria reple ſtercore gallinarum tenuiſſime trito: inde plumas gallinarum immiſce molles ac denſas, oua vero capite tenuiore ſupra exſtante, colloca ſuper alterũ puluinar: deinde reliquum ſuperpone in loco calido, & ſint immota ad duos dies, ad viceſimam inde diem, illa ſic verte, vt vndique æqualiter foueantur: inde ſtata die, quæ iuxta vigeſimam primam eſt, pipillantes iam ex ouo ſenſim educito. Nec mirum, cum Ariſtot. narrat, Syracuſis ſub terra foueri, in Ægypto vero nullo auxilio prorſus. noſtra ætate compertum eſt, ſuppoſito igne leui, atque fimo, edi pullos, ſed à pluribus tamen paucos: ſupponunt ignem, ne fimus refrigeretur, *hæc Cardanus ex Democrito.* At Ioannes Baptiſta Porta ita facere iubet, oua tepida demergas fimo, ſenisque diebus recens ſubiicito ne ſeneſcat, ſed tempore ſuo foueat, & gallinæ calorem imitetur, vertendo ſemper, donec excludantur, qui quæruntur pulli: ſic & tepente clibano. Sed his dicimus aliam eſſe rationem eius generationis, quæ vbilibet fit, & aliam eius, quæ certis locis deſtinatur, & quæ extra locos à natura datos, & quaſi matrices perfectionem accipere nullatenus poſſit: cuius ordinis ſunt cum metallis, tribuli, homines, & alia plura. Adde, quotidianus vſus tam familiarem

nobis reddit hanc communem rerum generationem, vt etiam & mirari deſinamus,& imitari ſtudeamus: ſed cum illa metallorum hucuſque delituerit, miramur ortum cum ſuis cauſis adhuc, & imitari deſperamus nos aliquando poſſe, & vt ſit ſeminibus ars auxilio, quantula tamen ea res eſt, nec erit vnquam ideo agricola primum agens,quod agros ſtercoret (imo Heſiodo omnis ſtercoratio improbata, ex hac enim fruges corruptioni obnoxiæ,& curculionibus,denique valetudini aduerſæ ſunt) cum quanta ſit hæc cura eam totam natura ſibi vendicet, quæ ſeminium ſua aluo exceptum fouet,calfacit, necat, viuificat, elicit formam, perficit: ſic in metallorũ ortu fere euenit, qui ſola naturali agente poteſtate perficitur, vel hac de re, quod qui metalla aluo ſurripuerit materna (in quam natura occultis operatur modis) vt arte, imperfecta ſeu adhuc incocta concoquat,operam ludit indubie,vt continuo imbecillior facta natura perdit vigorem.

Iam niſi Gebri reſponſionibus ad nos denuo reſpondero,actum eſt de pelle mea, & conclamare vaſa continuo iubebunt ciniflones. Noſtri Chimicis obiiciunt, debilior eſt aſini fictio, vt reliquarum beluarũ, ea metallorum,ſed has nequit exprimere mixtiones & debiles & manifeſtas quaſi ſenſibus Chimia. Geber reſpondet, has mixtiones non ideo ignorare Chimicos, ſed quia animam infundere nequeant, quare patet, inquiunt, defectum non eſſe ex parte mixtionis, quod non perficiant bouem vel capram, ſed ex defectu infuſionis animæ, quæ quidem anima formatrix eſt cauſa indita corpori ab eſſentia quinta, vel à primo motore. Sed his facile eſt reſpondere.

1. Ego dico æque difficilia ſunt infundere formam aliunde petitam, & elicere aliam ex materiæ potentia, imo & eiuſdem opificis ſunt opera, ſed cum Geber boui infundere nequeat, vt ipſe loquitur, formam, nec etiam illam in metallorũ materia obrutam eliciet.

2. Con-

2. Conſtans eſt omnium philoſophantium opinio, animas brutorum non aliunde aduenire, & extrinſecus, ſed educi ex materiæ potentia, ſic dicit Lemnius, lib. 1. de occult, nat. mirac. cap. 11. *Beluæ ſpiritum vitalem, reliquaſque animæ potentias vegetantem & ſentiẽtem ex ſeminis facultate, ſanguiniſque effluxu conſequuntur.* Si deriuari cum ſemine formam dixeris, appoſite, ſi quid ego puto, philoſopharis (hanc potentiam materiæ definit Fernel. libr. 1. de rerum abdit. cauſ. capit. 5. eſſe materiæ quandam præparationem ad excipiendam certam ſpeciem. Præparatur autem. 1. in ſingulis partibus. 2. in coalitione partium. 3. per ſpiritum & calorem. Eductionem hac ratione, vt actum ex habitu idcirco prodire dicunt, quod actus niſi comparato habitu perfecte elici non poteſt (qui tamen actus à concitante animæ vi & voluntate imperante venit) ſic in ipſa rerum procreatione dicendum eſt, non enim potentia formam, ſed externa cauſa imprimit, quæ tamen auxilio potentiæ deſtituta, non haberet ipſa per ſe ſatis virium, ergo de potentia materiæ forma elicitur, atque actus de habitu) Nam ſi aduenirent formæ beluarum, etiam redirent tandem eò vnde digreſſæ ſunt, atque ita immortalitatem eis concedere quis dubitaret? cum autem elicitur ex materiæ potentia brutorum illa forma, atque ea metallorum, peſſime procraſtinat Geber brutorum genituram, cum eam metallorum promat.

3. Non eſt hæc anima rei opifex, quin potius cum Ariſt. & Fernel, c. 9. lib. 7. Phyſiol. cõformator eſt ſpiritus ille caloris, omniumq; facultatũ moderator, in animali ſaltem, & primus procreationis author in ſeminis medio ſe colligens, & in eo perſiſtens, parteſq; vbi cõformauerit, poſtea ſemper aſſiſtens, in omnẽ vitã quãtũ poteſt diutiſſime & ſaluberrime conſeruãs opificiũ ſuũ; aut ſi quid dico, eſt ea vis ſeminalis, qualẽ poſui in explicatione opificis cauſę ad finẽ, & quæ ſedẽ ſuã principem cũ habeat in anima, ideo Gebero impoſuiſſe, vt

putaret eam facultatem anomiam prioribus philoſophis, eſſe ipſam animam, cum reuera ſit altioris eſſentiæ neruoſa vis animam inhabitans, ac dixi.

4. Hic partium omnium conformator & opifex, actione & paſſione ad inuicem miſcibilium qualitatũ perficit commixtionem.

5. In generatione metallorum ita operatur natura, ſi quid ego puto, materiæ accommodatæ pars intima, accipit intra ſe facultatem quintæ eſſentiæ, cũ forma quam educit primus motor; forma autem impulſa à facultate inſita, erigit ſe ad opus, & totum illud rude corpus peruagatur, & operatur continuo, donec fiat partium mixtio per minima, & qualitatum miſcibilium; tãdem vniformis mixtio inſpiſſatione & induratione. Si cum hac ratione iniuiſſet pactum Fernel. certum poſuiſſet opificem & humanæ naturę, & omni alii genituræ communem, neque coëgiſſet Ariſt. ad ea quæ nunquam cogitauit.

6. Omnis ita vis cõformationis eſt penes formam ancillatricem, & facultatem, quæ illi inſidet, quam facultatem nos nouo & apto nomine Elpheſtetiam vocauimus.

7. Iam ſi hæc vera ſunt, & ſi idèo, ac Geber dicit, bruta in quibus eſt debilis mixtio, perficere nequeant Chimici, quia perfectiuum quod eſt anima infundere ignorant, ſane neque metalla perficient. Quod autem dicit Geber, metallorum perfectionem circa proportionem & compoſitionem magis verſari, quam circa aliud, id vt certum ſit, etiam illa brutorum in re ſimili conſiſtit, nempe dum conformator miſcet miſcenda proportione debita, & inde educit vnum aliquid. Sed inquit Geber, noſtra intentio non eſt in principiis ſequi naturam, nec in proportione miſcibilium elementorum, nec in modo mixtionis eorundem ad inuicem, nec in æquatione caloris inſpiſſantis: cum hæc omnia nobis ſint impoſſibilia, & penitus ignota. Quare ego conclu-

concludo ſtultum eſſe, quod prius dixit, non eſt defectus ex parte mixtionis, quod non perficiamus bouem vel capram, ſed ex defectu infuſionis animæ. Ex his omnibus liquet partim manifeſte falſa, partim rationi non conſentanea dicere Gebrum de metallorum cõformatione.

Secundum noſtrorum hominum argumentum eſt, ſpecies rerum non tranſmutãtur quæque in aliam, ſed metalla adinuicem ſpecie differũt: Fatetur Geber metalla ſpecie differre (hinc male ſe habet Quercet. qui vt vnam metallis omnibus dat ſpeciem, magiſtro diem dicit) & addit ſpeciem mutari in ſpeciem, quia vermis in muſcam naturaliter & per artificium abit, vitulus in apes, frumentum in lolium, canis in vermes. reſpondeo, propter exempla particularia, ac dixi, generalis regula non eſt conſtituenda. & quia

Mutata ignorent ſubito ſua ſemina matrem,

ideo an dicere conuenit omnes alias ſpecies poſſe cõfundi. 2. vermis in muſcam tranſit: ſi de papilione Geber intelligat. Plinius reſpondet, papilio eſt vermis alatus, quia ſi primo papilio eſt vermis, deinde alatus vermis, nihil efficit, nec huius mutationis ratione ſpecies confundi, cum vermis & papilio non ſint duæ ſpecies, ſed ille genus, hic ſpecies. Si de bombyce intelligat, futile eſt. nam vt ſtatim ex ſemine naſcitur, non eſt vere vermis, quin potius muſca imperfecta, vt anſeres, vulgo Clarei, in Scotia, dum ex putridis prodeunt lignis, vermibus primo ſunt ſimiles, continuo perficiuntur. Et huiuſmodi animalia videre eſt ſæpiſſime in carinis nauium putreſcentibus, ex longa peregrinatione exæſis: ſic Ruia eſt quæ tandem volet, adſcitis cum tempore alis, ac ego Tagyduni in Scotia vidi, nec inde efficitur hæc mutare ſpeciem, quod ſenſim adoleſcẽdo perficiantur ab operante natura: ſic lambendo informem fœtum, quaſi componit vrſus: ſic ex ouo natã prolem Crocodilus. Quod autem addit tam à natura, quam ab

arte bombycem perfici,perinde eſt,ac ſi quis dicat, ab arte generari poma, quia ars partũ vel intempeſtiuius vel maturius acceleret; nam natura in arborũ ramis elicit ex ſemine bombycino viuens animal,quod *Necydalum* Plinius vocat: & fotu paruo, quo opus habuit ſemen,cum id nos tractamus, parturit; ſed ideo hanc genituram arti aſcribere,ineptiæ plenum eſt.nam non ideo generat ſpicã agricola, quia prius ſemẽ nigra perfudit amurca.de vitulo ſtrangulato. & cane hoc volui dicere,ſi ſpecies humana in vermium abitura ſit, quia vulneris humani putredo vermiũ eſt materia,ſane cauſa vincit Geber,aut ſi vitulus nõ vitulus,canis homonymos canis,id eſt cadauer putreſcens, & materia ſecũdæ & nouæ generationi apta abit in vermes, vt internum agens elicit ex illa conueniẽti materia aptam formam, non ſequitur ſpecies trãſmutari: ſed atq; in Nilo calor æſtiuus ex lentore terræ, atq; ſordibus, & putrilagine fiunt mures,aliaq; αὐτόματα ex humore, quæ circumfuſus aëris calor ſpiritu vitaq; imbuit: ita in cadaueribus calidum in putreſcenti humido ductu primi agẽtis viuens,quod animal gignit,quod illi materiæ reſpõdeat: calor ſiquidem in materiam illã elaborandam occupatus,nõ aliã ſpeciem, quã pro ſubiectæ materiæ ratione effingere poteſt. Sic diſſecto mulieris cuiuſdã corpore, beſtiolas exemtas ſoricibus muribusque non abſimiles narrat Lemnius lib. 11.cap.40.occult.nat.mirac. quas natura ex ſordido aliquo excremento,quo alimẽta erant imbuta,produxiſſe videtur: ſic Hollerius vidit ex Itali mortui capite Baſiliſcũ exemtum.& ego in Anglia apud Norfolcios per Epicraſin educo ex fœminæ cuiuſdã ſtomacho multipedem beluam,nigrã,agilem, longitudine minoris lacertæ,caudatã & flaueſcentibus maculis variegatam. inſita ſiquidẽ vis naturæ ſui generis animalculũ efformat,ac molitur,humida illa ſubſtãtia opifice obſequẽte ac ſequaci.Calor.n.ac dixi,natiuꝰ nõ aliam ſpeciẽ, quã pro ſubiectæ materiæ ratione effingere

fingere poteſt. ſic veſpę,ſcarabei,erucæ,muſca ex fimo bubulo, aliiſq; putridis humorib. curculiones in tritico,teredines in glãde,nucibus,auellanis,baſiliſcus,aut illi animal ſimile ex galli veteris ouo, anguis ex ſpinæ humanæ putrefacta medulla enaſcũtur. & ſicut nõ dicit, ac ſpero, Geber ideo ſpecies mutari, quia limus in mures abiuit: ita neque affirmare debuit,quia cadauer canis tranſit in vermes, & rubigo ferri informata ab agente proprio,quæ in materiæ facultate non conſiſtit, nempe putredinis calore extraneo, in mures maiores, ideo rerũ ſpecies confundi.

Eſt & tertia ratio,non poteſt indiuiduum vnius ſpeciei in illud alterius diſcedere,niſi tranſmutandũ,vt inquit Nicol. Flamel. ex Ariſt. in ſuã materiã primã prius reducatur: ſed vermis bombycinus nõ reſoluitur,neq; in ſuũ ſemen,neq; in elementa,vt fiat muſca, neque vitulus in genitale aruum,aut canis in genituram,vt inde profluant apes, vermes, &c. Iam ſi cauſam cooperantem,vt fotum artis in ſemine bombycino viuificando, ab præcipuo agente diſtinguas,ex omnib. his efficitur, nõ eſſe ſpecierũ transſubſtantiationẽ. Ita de frumento & lolio dicendũ eſt. Semen. n. vnũ, vt ſæpe videmus,in aliud degenerat,aut quia computruit, aut quia vim ſuã procreatricem perdidit,quæ aut efflauit, aut adulteratur ſuperueniente acore,aut extrema ſimili vi,aut quia terra in cuius gremiũ ſuſcipitur, hoc, vel ſimili aliquo laborauit vitio,ita vt nõ frumentũ, ſed frumenti, vt ita dicã,cadauer, & materia nouæ generationi apta abeat in loliũ. ſic multa molitur natura rerũ,induſtria hominum exculta & edocta, ſiquidem vuæ acini abſq; vinaceis prodeunt fiſſo malleolo, exemtaq; medulla, ſi inter colligẽdum gemma non lædatur: citiſſime. n. latera accurate commiſſa coaleſcũt. Meſpila quoq;,perſica, palmulæ,ceraſa,pruna,lapidoſaq; corna absq; oſſiculis cura induſtriaq; hominũ proueniunt, ſi tenellã arborem ad binos pedes reſciſſam vſq; ad radicẽ findas, ab-

raſaq; atque excauata ſcalpro vtriuſq; partis medulla, confeſtim ſeiunctas partes vinculo conſtringas, ſuperioremq; partē ac diuiſuras laterū fimo vel argillo, ceráve obducas, ac charta madida munias: elapſo anno obducta cicatrice omnia coaluiſſe perſpicies. Hāc arborem ſurculis, qui fructū non tulerunt, inſeres, & ſine oſſiculis poma proferet. Quod ipſum ex Theophraſti cōſilio in vita euenit. Inoculatio quoq;, inſitio, emplaſtratio naturæ ſolertiā, cultorumq, induſtriā cōmonſtrant: illa ſiquidem efficiunt, vt ſtirpes exuta natiua indole, aliā faciem, formamq; adſciſcant, atq; aliæ in alias promte demutentur. Vt enim videmus homines pro ingeniorum varietate atque educationis cura, non ſolum diuerſa ſortiri ingenia, alios mores, ac ſtudia, animæque propenſiones obtinere, ſed corpus aliud alio vel exilius vel procerius, colore vel florido vel exāgui, cuteq; vel glabra vel hiſpida hirſutaq;: forma tamē humana nō penitus deſtitui: licet nonnulli feritatē quandā præ ſe ferant: ſic in herbis & plātis vſu venire ſolet, quæ ob ſimiles cauſas non vnā obſeruant faciē ac vigorē, licet nō ita immutentur, vt tota ſpecies formaq; iis intereat: ſemper. n. aliqua parte nomini ſuo reſpōdent, effectuſq; obtinēt terræ, in quā radices agunt peculiares, atq; incolarū naturis aptas, accōmodataſq;! multa ſiquidē aduehūtur ex inſulis fortunatis, quas Canarias vocant, quæ cœlo noſtro aſſueta non eaſdē per omnia vires reſeruāt, nec eadē ſpecie aut figura, eaq; magnitudine proſiliūt: ſed tamē nō penitus genuinā, auitamq; naturā exuunt, licet nonnihil à veteri inſitaq; vi ac generoſitate deſciſcāt, quod in ſpōdylio, quæ plebeis Angelica dicitur: In laſerpitio vel Stilphio Ciſalpino, quę triuiali voce Oſteritiū, ac Magiſtrātia dicitur, animaduerti poteſt. Ergo translatione magna viriū ac ſpecierū pars adimitur. Vide hæc & plura apud Lemniū occult. mira. l. 1. c. 17. Si aūt eſt qui quærat, quorſum frumentū potius in loliū quā auenas, canis in vermes potius quā veſpertiliones, &c. abeant, illi dicimus: *Con-*

Continuo has leges, æternaque fœdera certis
Impoſuit natura locis & rebus.

Sed & frumentũ in ſecale ſeu arincã, ſeu typhã cerealẽ abire vidimus, nõ tantũ in lolium: & ſemen braſſicæ in illud raparũ: quæ quia acuitate & mordicatione maiori vel minori differre videntur, pro ratione ſoli, aërisq; ambiẽtis qualitate abit vnũ in aliud. Sic Cimber in Hiſpanum, Germanus in Gallũ, & Scotũ tranſit diutino cõmercio, vitæq; vſu & cõſuetudine, qui nõ tamen penitus genuinã, auitamq; naturã exuunt, ac dixi: teſtis & Syſimbriũ, quod in menthã odore, figura in Calamenthum abit. Quamobrem nõ eſt quod quiſpiã miretur, herbas mutationib. obnoxias, ſubinde virib. aliquãdo forma deſtitui, cũ id (niſi affinitate ac ſimilitudine confundi illas cõtingat) loci ſitus, aëris ambientis qualitas, cultoriſq; artificiũ efficiat: & herbarũ inſitas vires, natiuaſq; qualitates immutari cõtingit, perſiſtente forma & effigie: nonnunquam formæ ſpecies intercidit, ipſis qualitatibus, ac virium facultatibus ſubſiſtentib. Obſeruabis etiã plantas, quamlibet foueas vel ætate feſſas deficere, vel effœtas elangueſcere, ac emori, niſi inſerendo inoculandoq; nouos cultus ſubſtituas, vel auulſis ſurculis aut malleolis reſuſcites. Sed, ſi q̃d puto, nullũ vnũ in aliud degenerat, verũ prius perit: deinde ex limoſa terræ pinguedine, aut tali ſuperioris corporis vligine progerminant nouæ herbæ, nullo ſparſo ſemine, ſubactave ſcrobe plantariis, vt ſunt zizania, loliũ, vrtica, oleaſter, alga, & quæ iniuſſa, ſponteq; vireſcunt gramina: vel planius, ac ſupra tuli, dic, pereunte forma vnius rei, materiam permanere, quæ nouam formam accipit, cum hoc ſit materiei proprium nouas formas appetere, ita vt cadauer frumenti putre, ſit apta materia ad recipiendam lolii, vel ſecalis formam aduenientem, ſeu vt rectius efferam, ſit apta materies, ex cuius potentia eliciatur forma typhæ cerealis.

Cum autem hanc diſciplinam & naturam horreant

metalla: ſequitur inepte cõponi metalla herbis & plãtis: atque ita metalla vnius ſpeciei in illa alterius abire nequeũt, rataq; noſtris ſua manebunt argumẽta, ignota miſcibiliũ proportione, qua adipiſcitur forma & rei perfectio, non formatur mixtum, & ignoto mixtionis modo, & ignota caloris agentis æquatione, qua mediante res perficitur: item ignota debilium mixtionũ cõpoſitione, ignoratur & ea metallorũ fortior. Itẽ ſi eam, quæ pene ſenſibus occurrit mixtionem non capimus, non aſſequemur eam metallorum penitus occultam.

Reliqua noſtrorum hominum argumẽta videre eſt apud Gebrum 2. par. lib. 1. Summæ c. 9. 10. 11. & reſpõſiones, quas facile eſt, non ineptis omnino hominibus diluere. Ego enim retundere harum aciem ſatis habui, quæ negotium pluribus facturas putaui. Reliqua ſunt duo experimenta Chimicorum vulgarium.

Dicunt Salomonem ope artis Chimicę ad tantas euaſiſſe opes, vt ſuo tempore parui putaretur argẽtum, ſed quam impii ſint in diuinam maieſtatem iudicet qui volet, cum Dauid pater ſpoliis Syrorum, Babyloniorũ, & aliarum gẽtium ditatus, repoſuerit prædam in templi ſtructuram, quod ipſe fabrificare ex præcepto Dei nequit: & Salomon coniunctis Tarſorum nauibus, quotannis ab Ophyr inuehit aurum obriſum, an ſit ea mundi plaga, quæ hodie Ophyre dicitur, nomenq; retineat, iudicent alii.

Denique dicunt Henricum Regem Angliæ vltime defunctum opera ſui Bachoni belli ſumtus ad toti Europæ pene bellum inferendum parauiſſe: at hic miſeret me ignauiæ hominum, qui hiſtorias non legerint: Henricus enim iugo papæ profligato, aſſerit ſibi diadema, quod à papa pendebat, cum vectigalibus regiis: inde conuertit maximam partem bonorum eccleſiæ in ſuos vſus, & his fretus auxiliis, nõ ciniflonia, bellum facit, & ſtipendia numerat.

Nunc ad Quercetanum reuertamur, arte inquit, &

leuiori

leuiori præparatione in ſua ſpecie quodque metallum perfectius reddi, quia dixit Ariſt. 4. Meteor. cap. 6. ſed ferrum quoque elaboratum liquatur, ita vt humidum fiat, & rurſus cõcreſcat, nec ſecus chalybem facere cõſueuere. ferri namq; fæx ſubſidet, atq; in imum ſecernitur, vbi aũt ſæpe defæcatum fuerit, ac purum mundumq; euaſit, fit chalybs: at ferrũ eò præſtãtius eſt, quò minus habet excrementi. Equidẽ ſane quã optime ſunt iſta cõparata ad tanti momenti negotium è manib. noſtris extorquendum. 1. tunc chalybs eſt ſeptimum metallũ, ſi ferro non amplius adhæret. 2. quia cuilibet rei naturali ſuæ ſunt fæces, eæ ſi ſubſideant, genera & ſpecies ideo redolebunt innatæ eſſentiæ defæcationem: ideo & homo depoſita aluo iuſſerit humanũ gen⁹ perfectiorẽ induere naturã, & ſi aqua hęc vel illa ſedimentum det peſſum, naturam mutabit, in aliamq; migrabit familiam? ſed ferri liquamine ſecernitur ſpiſſamẽtum, in chalybemq; abit puriorem: eſt ita, & aqua depoſito limo limpidior euadit, ſed adhuc eſt aqua, & chalybs adhuc eſt ferrum, nomen mutauit non rem, ipſo Quercetano annuente Sclopet. pag. 18. aqua non inuenit aliud nomen, ſed cum adiecto purior dicitur, & vſus noſtri cauſa fæcatius, defæcatius vocatur ferrũ, purius, impurius, non naturæ & formæ, quæ hoc fecit vt quam puriſſimas & perfectiſſimas in ſua quaſq; ſpecie res produceret, quibus gaudere eſt cõceſſum, exuere autem & cum commutare inſitas cum nouis formis non item rebus eſt datum, ac dicemus.

Iam corollarium ex Iſaaci Holandi Chimici theoria adiiciamus, ait: *in rebus ſingulis latet natura quædam, quæ fœtidarum fæcum nomen adſciſcit, hæ impediunt, tolluntque reliquas rei vires, ita vt nihil pene ſuperet boni, quinetiam ea quæ inſunt elementa, putida reddunt, & putredini obnoxia, quare elementaris natura ab ea corruptibili ſeparanda eſt, vt ad mediam qualitatem res reducatur.* En Chençe quam ſomnias perfectionem metallo-

rum è tenebris erutam: En elementa non ſeparari, nõ mutari, nõ imminui: En perfectioni cõbinationis nihil accedere, ſed ſuperflua quæ videntur, demi, & non in vno vel altero metallo, ſed omni hoc fit, ne tu ſomnies nullas fæces eſſe penes aurum: ſed quia hæ fæces putidæ eliciuntur, an ideo in nouã coloniã diſcedẽt metalla? ſi ita ſit, & diſcedat aurum ipſum in aliud nomen.

Nec eſt quod quiſpiam obiiciat hypoſtaſin rerum ſordidam, formæ, ac denigratricem eſſentialis maieſtatis, volutari in hoc luto gaudet, quę eò perfectionis ruditatem materiæ perducit, vt ſatis præclare cum ſua incolumitate ſerena putet actum, vbi quieuerit, nec vnquam rei cuiuſuis ortui omnẽ voluit abeſſe labem, vel hac etiam ratione, ne materiæ expertes viderẽtur. Sic aurum, quod Chimici nobis obtrudunt perfectionis exemplum inter metalla, naturæ opifex è ſuo ſinu demittit labis conſcium. Paracelſ. lib. 2. ſect. 2. lib. 2. magnæ Chirurg. & ſect. 1. cap. 5. & Paragr. lib. cap. de Alchymia. & Iſaacus Holland. Chimicus in fragmento Theoriæ ſuæ. & Bellonus contra Hiſpanos ſcriptores lib. 1. cap. 52. memorab. Sic homo, perfectiſſimum licet animal, & in cuius vſus hæc quæ formauit, omnia deſtinauit natura, ſordib. cinctus auras ingreditur, nec vnquam cariem materiæ omnẽ deponit, niſi vbi libera forma vindicarit ſe tutam & ſynceram ex ergaſtuli corporei ſedimentis, vt ſecum habitet: ſic elementa ſagax natura temere pene confuſa nobis offert, vt videtur, animalium vitæ conſulens: ſic cætera ex elementis cõflata animalia ſuorum principiorum retrimenta vbiuis gentiũ ſapiũt: ſic vegetabilib. eſt fæx: ſic metallis propria: ſic res aliqua (Parac. de cauſ. morb. tra. 4. & 5.) ad ſummum diſtillata, volatilis fit, vt reputetur eſſe abſq; corpore, ſemper tamen corporalis eſt, & excremẽtum ſuum tartareum habet: ſic vinum ardens quantumuis ſubtile ſit, puriſſime diſtillatum, & circulatum ſubtiliſſime, attamen tartarum in ſe continet.

Imo nouo argumento contendo aurum nunquam carere poſſe ſedimento: etſi experientia, vt loquitur Ariſtot. contrarium rationi nobis aliquando demonſtret, tamen rationi non diffidendum, nec ei detrahendum. Nam plærumque rerum facies nos ita decipit, vt quod ratio dictat non videamus, aut ita eſt intricata, vt quod eſt in re, in anfractibus ita ſe perdat, vt ſenſum fugiat: aurum, ad rem dicit Augurell. Chryſop. lib. 1. viuit, & ſibi ſimile generare poteſt. Quod autem vulgus contradicat, cauſa eſt materiæ craſſitudo, quæ impedit liberam inſitæ animæ in auro actionem, niſi craſſamine artis auxilio depoſito, eam etiam nunquam poſſe vires ſuas prodere. Ergo ars Chimica calcinatione, coctione, cibatione, mortificatione, ſublimatione, & aliis poteſt ſolutis materiæ vinculis, & ſpiſſamento reiecto iubere aurum vita in aperto frui, & animæ operationibus viam facere, vt quam habet in ſe naturalem facultatem, eam tandem in medium producat. Habere autem animam experientia docet: aurum enim ex auro gignitur, ac ex hordeo hordeum, & vt hordei viuificum eſt ſemen, ita & auri: & vt in ſiliqua hordeum includit ſuum ſemen, ita intra ſuum craſſamen aurum habet ſemen incluſum: iam quod viuit, generat, nutritur, & concoquit, coctio deponit ſedimentum aliquod: (Paracelſ. lib. 3. Paramiric. cap. 1. ait: *Omnia quæ exiſtunt & creſcunt, in ſe ſtercus, lutum, ſeu excrementum propriæ ſuæ digeſtionis habent*) aurum ergo perfectiſſime elaboratum vt quamdiutiſſime viuat, ita excrementum continuum deponat neceſſe eſt.

Quare artis ignarum merito accuſo Quercet. qui ipſam puritatem auro ineſſe prædicat, aut ipſe accuſet Chimicum Augur. qui iſta in damnum ſuorum ſcripſerit: at ideo non dicas hæc imperfectæ formæ & naturæ eſſe opera, quæ perficere poſſit ars, cum naturæ integrum ſit quæ vult, perfectiſſime limare. teſtetur cœlum cuius mirati puritatem varii philoſophi, & formæ

elegantioris munditias, negarũt illi cum materia commercium eſſe, perſuaſi nolle naturam ex materiei ineptia adeo limatum opus educere, nolle primum agens ex materiæ potẽtia ſordida euocare id ſibi domicilium, in quo nulla ſit labes, cum tale quid apud reliquam mundi ſuppellectilem non ſit inuenire. Sed vulgus philoſophantium his contradicat, qui ait, quæ natura rudia dedit aliquando, & deformia, arte perfici, elaborari, & meliora reddi ſane: vt etiam cum vulgo loquar, fruſtratur natura deſtinato ſibi fine, temere quandoq; occurrente impedimento, ita vt ſomniare videatur in rerum genitura deformi: hanc ars ſanat, ſi non in totum, ſaltem aliqua ex parte, aut tollit, aut palliat ſquallorem naturæ impeditæ, ſed exteram tantum faciem, fuco ſuo inducit accidentariam perſonam rebus, variamque imaginem, gibbos applanat, colorem inducit, crines tingit, laxata reponit, acetabula mundat, deſiccat, excudit æra ſpirantia, tollit metallorum fæces, purgat animalia naturæ hæc ſimia: ſed penetrare in formæ eſſentiam, vt ei artem adhibeat, polituram, & defæcationem, ridiculum eſt affirmare, cum ea ex ſe eſſentia ſit perfectiſſima, & quæ ſua perfectione perficit quæcunque. Et hoc me Chimici doceant, cum omnia metalla ponant vnius ſpeciei, & diuerſitas indiuiduorum ſub vna ſpecie contentorum à forma ſit, an formæ horum vt diuerſæ ſunt, ita differant ſecundum perfectum & imperfectum? ita vt forma auri ſit perfectior ea plumbi quoad eſſentiam: nam ego in hac ſum hæreſi vt fatear formas indiuiduorum vnius ſpeciei omnes æque perfectas eſſe, quod ad eſſentialem fabricam attinet, vnde, inquit Paracelſ. lib. 2. cap. 2. Paramiri. *Colligendum nobis eſt vniuerſas res eiuſdem eſſe valoris, carbunculum non præſtare topho, pinum non eſſe cypreſſo deteriorem, quod verum eſſe probat naturæ lumen, qui primo tum aurum prætulit argento, fecit id auaritia: nam æque magnum eſt argento tributum donum, ac auro*: hoc

idem

idem de forma humana aſtruit lib. 1. de generat. hominis, & quod nobis diuerſæ in perfectione videantur, cauſam ponit cellarum ſeu inſtrumentorum varietatem, debilitatem, &c. Et Poëta quidam ait:

Nil luteum de fonte fluit, nec turbidus humor
Naſcitur, aut primæ violatur origine venæ.
Sed dum liuentes liquor incorruptus arenas
Prælambit, putrefacta inter contagia ſordet.
Nunquid equus, ferrum, taurus, leo, funis oliuum
In ſe vim ſceleris, cum formarentur, habebunt.

Et idem poëta alibi de formis humanis ait:

Sic animas cœli de fontibus vnicolores
Infundit natura ſolo.

Et ſi ita eſt, non anhelabunt eæ metallorum reliquorum vnam auri formam ratione perfectionis: ſed ſi concinnitatem, elegantiam, pondus, colorem, & ſimilia nomine perfectionis intelligant in auro præ cæteris, his iam omnibus obuiam iuimus. Iam placeat formarum ordines peruagari, vt res tota perfectionis intelligatur: cum forma natura quædam ſit, eaque motionis principium, quæcunq; vnius ſimplicisq; motus cauſa fuerit, ſimpliciſſima illa & imperfectiſſima, & infima iure optimo iudicabitur: ſic elementi forma, quia loci mutatione ſeorſum tantum aut deorſum fertur, omnium cenſetur imperfectiſſima & abiectiſſima. Huic ſuccedit illa æris, auri, lapidis, quibus cum ſubiectum ex ſola elementorum temperatione ineſt compoſitum, & erit forma materiæ rudi, ſimplici & impolitæ reſpondens. Stirpibus, quia diſſimilare & organicũ corpus ſubſternitur, quod nutritione, procreatione, & motu vario opus habent, perfectior & nobilior eſt forma. His rurſum abſolutior eſt ea animantis, quę præter dicta ſenſum cõfert, & voluntariã progreſſionem. Omniũ tandẽ ſuprema & perfectiſſima ęſt hominis ſpecies,

quæ ſupra hæc omnia mentem diuinum munus à diis immortalibus eſt conſequuta.

En Fernel.lib. 1.de abd.rerum cauſ.verba, quæ fateantur metallorum formas vniuſmodi eſſe in perfectionis gradu: ſi autem contendas rem aliter ſe habere, ſi metalla ad ſe inuicem comparentur, vbi Quercet. ratione à forma petita hoc docuerit, nobis argumentum diluendum relinquat. Igitur materiæ ſordes eluat ars, ſic ferri ſpiſſamentum ſeparat, æris craſſamen elicit. Sed an ſordeant hæ fæces rerum genitarum ipſi naturę dubito, tum quia potis eſt ea, quæ noxia putat, ſecernere, & vult res eſſe perfectas in ſua quaſque ſpecie, quas generat: & quam adhuc in me miraris refractariam contumaciam, ego puto monſtra, gibbos, & genitorum omnium, vt nos loquimur, deformitates, naturæ volentis, ſcientisque eſſe opera, non impeditæ: ac in gratiam vulgi modo dixi, vel ea de re, quod natura cum omnia poſſit, ſemper ad rem attenta ſit, quam faciendam fabre habeat præ manibus, nunquam vigilãs dormiat, non obliuiſcatur ſui, hoc etiam poſſit, ſi ſedeat animo, ne habeant res genitæ eas, quas vulgus appellat maculas. Sic pictor ludens in arte, quem potuit hominem perfectum penicillo exprimere, capripedem reddit, quam ſi quis mentem conuellere ſtudeat, habeo quæ illius cenſuræ dicam in numerato: & quod ad metallorum, vt vocant, retrimenta attinet, ars fidem facit: Faber enim imaginem exſculpturus, lignum dolat, applanat, cauat, ſtriat, at aſſulæ non ideo ſordent, quia faber eas iam tum reiicit, nec ideo ſapere reliquũ lignum negamus, quia ſculptori eæ ac operi ſuperuacaneæ non arrident, quin potius eas reponit vſui præſenti non ſeruientes, quas alius & aliquando commodior non horrebit: ita in fodinis ſecernit aliquid ac inutile natura operans, id eſt, cum ac faber ampliorem materiam ad ſuum opus adduxerit (adducere autem naturam etiã quibus ſex ſunt digiti, aut quid tale, fidem faci-

facient) quam propoſitæ rei ineſſe poſſit, partes quæ operis polituræ ſuperſunt, reiicit, & ideo ſanum iudicium his craſſamenti nomen adaptat, forte etiam ſecuris, aut quid tale, ita mutilat has aſſulas, & comminuit, vt pene nulli ſint præterea vſui habiles: ſic natura nunc coctionibus fortibus aliquas comburit omnino partes, nunc incoctas ſecernit: ſic ars dum polit ferrum a ignis violentia leuiores partes conſumit, & iam eſt actio tam naturę quam artis, quæ has corrumpit, ne poſſint cum toto ad nomen reſpondere, ſed ob hanc rem metallis notam imperfectionis inurere non poſſe aliquem ego ſpero: aliquando etiam natura ſolicita, vt vndique rei debitam colligit materiem, aliena temere mixta corradit, quæ in operis efformatione reiicit, ſed non ideo ſpiſſamenti nomen merentur: præterea homines propter varios vſus humanæ vitæ alia pura, alia ſordida putant: ſic caſtoreum illis fœtet, æs niſi limatum non placet: ſic arrident multa palato quæ ſtomachum inuiſcant. Sed natura his omnibus parens eſt cõmunis, æque illi omnia ſapiunt, olent, perfecta ſunt. Vt enim generationi primæ olim finem impoſuit, vidit eſſe bonum, quodcunque creauit, non item hæc bona, hæc meliora. Et in metallis quæcunque partes aliunde aduehantur à colligente natura ad auri, vel plumbi coalitionem, iam tum ſunt materia ſecunda, cui quidem eſt certa adnexa forma, *nam materia nunquam eſt ſine forma, & affectionibus*, vt ait Ariſt. 1. de ortu, quæ vi agentis potentioris (ſeu verius ita volente natura) qui ſuperuenit, expellitur, aliam cum introducit placitam ſibi, (ſed pluribus hoc dogma arridet, formæ materias quibus ſemel infuſæ ſunt, deſerunt nunquam, neque poſſunt aliæ in alias tranſitione facta commigrare, ſed imperium accipiunt vltimæ aduenientis formæ, & illius dicto parent, dum potentia ſunt in toto compoſito, ſed totius interitu ſimilaris cuiuſque partis ſpecies in ſuum, vt appellant, actum, & in ſuam perfectionem

erumpit) quare retrimenta nouæ formæ niſi comparatiue fæces non poterint dici, vt quæ ſint corpora ſuis formis prædita, non indignioribus ea noua, quæ toti acceſſit: ſic vnum elementum ſit materia tranſſubſtantiationis alterius, cum tamen vi intruditur in illam alia forma, non ideo eſt imperfectum ipſum elementum tranſmutandum, niſi comparatiue, non etiam reliquæ quæ transmigrationem euaſerint elementi partes, & ſi placuit philoſophis aliquando aliter dicere, puto docendi fuiſſe cauſa, naturam moliri in ſimilibus tranſmiſſionibus nobilius opus, & formam aduentantem præſtare abigendæ, (intelligo formam hic quæ à materiæ potentia educitur, non eam quæ aliunde adueniat, cuius alia eſt ratio) reuera tamen mihi videtur naturam potius collimare viciſſitudinem rerum, cum mundus ſit ita compoſitus, vt æternis alterationibus fluctuet: & ea eſt materiæ cōditio, vt nunquam ſua ſorte cōtenta, nunc componat gremio amatam formam, nunc quæ eſt eius incertitudo, admiſſam repudiat, vt alterius vſu fruatur: etſi videamus triticum degenerare in ſecalis, ac Chimici volunt, deteriorem eſſentiam & naturam, contra tamen poſitum iam ordinem qui in viciſſitudine meliorem anhelare debuit formam.

Præterea huic toti quæſtioni habeo & hoc quod dicam, formam hac in re tantum materiæ antecellere, quod potiorem acceperit à primo agente efficaciam, & quod præcipuam actionum omnium cauſam voluit ille rotator primus eſſe penes formam: ſed & ex alia parte placuit primo agenti etiam materiei ſuas concedere actiones, vt appetere formam, ac virum fœmina, ornare ſe admiſſariis qualitatibus, inter nunciis, ac veluti Paranymphis, vt indiuulſum permaneat formæ cum toto ſubiecto coniugium (hanc appetitionem, & ornatum, ego apparatum vocare ſoleo, qui formæ ſit neceſſarius) nunc admittere, nunc formæ nuncium remittere, quo nomine non minimam ſibi peperit glo-

riam, vt quæ titubantibus & pereuntibus quas admittit, quas demittit formis, ipſa vna, eademq; res ſemperque ſibi ſimilis maneat, nullo ortu generata, indiſſolubilis, immortalis ſeculis omnibus, ac vt ortus ita & interitus expers, & ſi quam vim ab ingrediente paſſa eſt forma, læſæ pudicitiæ pœnas dat, vt continuo foras extruditur, aut ſaltem formis ſe mutuo conficientibus, ipſa communis omnium rerum parens ſe reddit. Sic cerua mares ſibi mutuo vim inferẽtes ſumma cum voluptate conſpicit, vt digniori nubat: habet adhuc ſecundarias qualitates à patibilibus ortas, quoſque corporeos affectus nuncupare ſolet Ariſt. & quos optima ratione videbimur nos materiæ vires & qualitates appellare. Eiuſmodi autem ſunt durum & molle, craſſum & tenue, viſcoſum & friuolum (ſic enim verto, quod Græci ψαϑυρὸν, Plinius friabile appellat) læue & aſperum, rarum & denſum, & quæ huius ſunt ordinis omnia in materiam penitus immerſa. Sunt ergo vires materiei cum forma pene pares, iam ſi quis explicatis ſuperciliis accedat, qui penitius hanc rem introſpiciat, videbit, ni fallor, alienis opibus, ac Æſopi cornicula, luxuriantem formam, ex ſe autem non habere quadrantẽ vnde hectas tollat: Quare æqua lance qui penſat ſingula materiei, ſingula formæ facta, agnoſcet non ineſſe illis ex ſe has, quas oſtentant vires, ſed eas debere ac ancillatrices famulas primo agenti has referre acceptas. Neque hic ſperet quiſpiam Ariſt. nobis aduerſari, qui variis rationibus doceat formam antecellere materiei 2. Phyſ. Ille enim immerſus in naturam ſecundam, ægre animum erigere dignatus eſt ad primum agens, dum hanc rem diſputat. Fatemur igitur cum Ariſtot. habere á forma rem, vt ſit actu, vt ſimilia generentur (licet alibi dixerit homo & Sol hominem generant) vt res dicantur naturales, ſed cum his concedimus formam quam habet, hanc vim, eam ab primo agente accepiſſe accommodato, & in eam acceptam be-

neuole referat, ingratam eſſe. Deinde non eſt ea vis ſuperuenienti formæ, quæ poſſit inſitam rei debellare: nam cum pares vires habeant ignis & aquæ maſculæ qualitates, credibile eſt etiam horum elementorum formas ſe inuicem actionũ viribus æquare, nec ſe mutuo turpiter eiicere, alioqui conferrent in eodem ſubiecto manus, quod nequeunt: ſic enim eſſent duæ formæ ęqualis poteſtatis in eodem corpore, nec quia conſenuit prior in materia, ideo eam denuo aduenieus expellit vegetior, cum ſubſtantię incorporeæ ætatum detrimentis non ſint obnoxiæ.

Sed cum animo ſedet primi motoris mutare ſemper res, quarum moles viciſſitudini tota patet, ille pro arbitrio vel conſeruat, quam indidit formam toti compoſito, vel elicit, vt nouam ingerit in materiam: hanc actionem, ceſſionem vocant Philoſophi, & ne vis ſit, dicunt abeuntem cedere aduenienti formæ. hoc etiam experimento probamus: ſi enim formæ, quas ſuccenturiatas ſibi in opus adiunxerunt qualitates & facultates deturbare ex ſolio poſſunt, aut ita ſopire, ne illis cum labore vllum amplius ſit negocium, & nouas conciliare, interdumque generare, ac quotidie videmus in nobis ipſis, quid eſt quo minus queat etiam prima natura formis ſimiliter imperitare: Nullum eſt igitur proprie loquendo rerum ſedimentum, nullum ſpiſſamentum, ſed alienæ ſubſtantiæ aut ſecretio, aut eiuſdem, ſed varie affectæ, ſed quæ rei quæ efficitur præterea non ſit vtilis, aut læſæ coctionibus, ſed in concinnatione reliquarum partium ablegatio, nec formã præſtare materiæ, & ſi præeat, hanc illi aliunde contigiſſe gloriolam, ſeu verius propter docendi methodum eſſe hanc rem totam ab Philoſophis adinuentam.

Tota hac re ita ſe habente fruſtra contendunt Chimici diuidere metalla in perfecta & imperfecta, cum ac Philoſophis omnibus placet, ab eſſentia & forma vt definitio, & diuiſio petenda eſt: & præcipue in iis, quæ

ſe ob-

ſe obuiam dant: Fruſtra dicere naturam ac præſtantiſſimum metallum ſibi proponere efficiendum aurum, & conari vt reliqua in id vnum tranſſubſtantiet, perſuadeoq; naturæ fictrici nunquam veniſſe in animum, vt vellet in vnum aurum cætera metalla aliquãdo conuertere, aut poſſe aliquando id efficere, cum quas leges ſibi impoſuerit ipſi, eas effugere non poſſit, & ne me impium hic quis ſuggillet noſtræ mentis inſcius, nulla in re ego primi motoris detraho poteſtati: nam

—Triplices Deus indidit almæ
Rerum naturæ leges, 1. ſunt ſponte caducæ
Et fluxæ quædam, ſic infinita nouarum
Obiiciunt oculis ſeſe diſcrimina rerum:
Quauis luce tamen Deus hanc moderatur amuſſim,
2. Sunt rerum per ſe certiſſima vincula quædam,
Et certæ leges aliæ, Deus obligat author.
Sed quibus ipſe ita ſe, vt quoties mutare pararit,
Immutet, fiunt ſic quæ miracla vocamus.
Stoicus hic nimium mihi delirare videtur,
Alligat ad rerum cauſas cum forte ſecundas
Motorem primum, fati ne concidat ordo,
Non tamen hæc perimit res commutatio, tantum
Vt quæ ceſſat in his quæ rebus iure ſecundo
Eueniunt, mare ſic fluctus ſuſpendit vtrinq;
Cum validos rubrum, non deſinit eſſe profundum,
Nec cum Sol reuocat curſum, Sol deſinit eſſe.
3. In rebus quædam ſunt inſita iure tenaci
Et ſubſtantifice fundantur ſtamine in illis
Vt ſi mutentur pereant res ſponte neceſſe eſt,
Vnde fit vt ſaluo mundo Deus illa nouare
Nec velit, aut poſſit, quoniam ſibi dixerit ipſe
Has leges vltro atque volens.

Huius tertiæ farinæ ſunt rerum ſpecies: indidit enim hac lege plumbo, auro, ſtanno, & id genus aliis, primum agens formas, vt ſalua rerum fabrica nec velit aut poſſit eas ipſis adimere, aut in alias tranſſubſtan-

tiare: ſic beluæ in humanam licet præſtantiorem formam nunquam migrabit, nec tota, nec ex parte, nec ſpecies in ſpeciem, nec indiuiduum in indiuiduum, homo in beluam, bos in Ioannem; ſic quercus in vlmum abire nequit, nec plumbum in aurum. Si perfectionem & imperfectionem metallorum adhuc obiiciant, conuellant primo eſſentialem à nobis poſitam diuiſionem, deſumtam ſuam accidentariam à materia deſumtam melius ſolite concinnent, & argumenta quæ illi obiicimus diluant, vel nihil agunt, nec plumbi migrationem in aurum feremus: at in his ne nimium philoſophari me quis arbitretur, quoniam quæcunque tandem hæc ſunt ex philoſophantium communi ſchola non ſunt depromta, ſubdo me communi philoſophorum placito, & placeat committere rationes noſtras phyſicas illis Chimicorum laruis, vt quantum interſit ſtulto, qui intelligit, ſanus orbis perpendat.

Tranſſubſtantiationi metallorum obiiciunt medici phyſici, ars atq; natura aliter res efficiunt, natura naturales, ars artificiales, ſed metallorum ex nominis notione & eſſentiæ definitione genus in numero eſt naturalium: naturales principium ſuæ effictionis in ſe habent, ſcilicet augmentationis, diminutionis, loci mutationis, & ſi quid tale: artificialium omnis motus, quietis, & effictionis cauſa aliunde aduenit, & per accidens: Quare ſi velit plumbum abire in aurum, cum habeat à natura conceſſam ſibi hanc vim, non exſpectabit ancillantem artem, & cum metallorum metamorphoſin non audeant in totum arti aſcribere, intra vtramque volet Chimicorum hæc iocularia transfiguratio: ſed naturam iam probauimus non habere opus arte, vt rerum genituram perficiat. De his, quæ obiiciunt impedimentis & naturæ & matricis terræ aliqua diximus, mox plura dicturi.

Reliqua eſt experientia quæ euerſis rationibus manum adiutricem præbeat, metallicos nempe in cen-

tum pon-

tum pondo plumbi vncias aliquot inuenire argenti, & in ærifodinis vt argenti, aliquando permiſtum videri aurum. his authores adhibent Plinium, Galen. Altera eſt, quoties effoſſores periti inueniunt argentum imperfectum, propter indigeſtionem fodinas occludere conſueuerunt, conſuluntque, vt per triginta annos, aut plures ita dimittantur, donec abſoluatur à calore ſubterraneo coctura. Tertia eſt, effoſſoribus hoc pro lucro eſſe.

Experimentis ita ſatisfacimus. reperiatur in plumbi, in æris fodina plus etiam auri, quam Chimici volunt, ſed hoc inde efficient, quod & nos multis antea docuimus, non eſſe ſyncerum quid in operibus naturæ, quod non redoleat diuerſam materiam: vt enim vndique corradit materiam natura ad hoc vel illud metallum efficiendum, poteritne colligenti aliena occurrere? poteritne etiam proxima illi eſſe? quæ in argentum, in plumbum coaleſcat. Sic in ſuccinum coaluit muſca apud Martialem: ſic Paracelſus audet affirmare in magna Chirur. homines participare metallica principia. Sane dicam ex Plinio hiſt. nat. lib. 33. cap. 6. metalla dicuntur quaſi μετὰ ἄλλα, quod alia poſt alia inueniantur: niſi teſtatur ideo alienæ adhæſiſſe materiæ, vt tandem omnem aliam, quæ ipſam quantitate ſuperat & viribus, in ſe transformet: quin potius dicamus, eam penes quam eſt ſuperior poteſtas frangere debilem ſibi adhærentem & vim & materiem, vt tandem in ſe commutet.

Et hæc eſt congruentior philoſophis ratio, vt ſi in æris centum pondo inſint tres auri, aut decem vnciæ, facilius fuerit æri in ſuam coloniam tranſcribere aurum, quam ediuerſo. At perfectioni auri hoc dant, & perfectio eius ex Chimicorum ipſorum doctrina conſiſtit in pondere, puritate, ſplendore, partium concatenatione, quæ omnia à nobis ſuperius refutata ſunt: & in temperie, forma, vi ac poteſtate, quæ etſi

Chimicis concedamus, longe tamen à ſcopo aberrabunt. Et primo ratione formæ non poteſt aurum cætera in ſe cogere metalla, quæ quam habet vim, eam referat primo agenti acceptam. Quare doceant me Chimici voluntatem primi motoris, qua vult efficacem eam eſſe penes formam auri poteſtatem, quæ reliqua aliquando in ſe tranſmutet: aut ſi hic hæreant, quoniam modo contrarium probauimus, habent qualitates & facultates auri, quæ natæ ſunt vt formæ ingenium exprimant, ſed has nihil tale præ ſe ferre audiemus: Sed eò euadunt vt dicant, eam efficaciam non eſſe penes aurum quæ tranſmutet, ſed cætera metalla abire in aurum, vt in terminum vltimum vltimi motus, ergo actio eſt penes alia metalla, & hæc ad aurum progrediuntur ac perfectionis metam: & ita eo venimus, vnde digreſſi ſumus ad cramben bis coctam, perfectionem & imperfectionem. Tamen ne ita res euadat, actioni reſpondent Phyſici, agunt quæcunq; vt quamdiutiſſime ſint, conſeruabunt igitur ſe metalla quæque in ſuis ordinibns, nec vt non ſint vnquam aſpirabunt.

2. Natura non deſtruit vnquam quæ ſemel voluit, eſſe genera & ſpecies, huiuſmodi ſunt plumbum, æs, &c. 1. Quia omnes proprietates generis & ſpeciei illis conueniunt, ac diximus. 2. Quia falſum eſt, quod dicit Quercet. formam Embryonis eſſe diſpoſitionem, non formam, cum ab omnibus in confeſſo ſit Embryonem viuere vita cum plantis communi, & plantarum anima, forma eſt, non diſpoſitio. Et licet accipiat iugum præſtantioris formæ, quæ ſuperuenit: non tamen ideo incipit eſſe ſpecies qualitatis, vt deſinat eſſe forma ſubſtantialis. Nec eſt inconueniens plures formas habitare vnum corpus, ſed apud plures imperium eſſe poſſe negant Phyſici. Et voluit genitor penes animalium exiſtentiam legem eſſe eam, vt ab vna & inferiori forma procederet genitura ad aliam tum ſuperiorem

riorem tum excellentiorem, vt omnium formas in ſe habens, omnibus imperitante in ſe forma leges diceret præſtantiſſimum animal homo, quem tam fabre fecit natura, vt videatur voluiſſe ex eo tanquam abſolutiſſimi operis exemplari, de ſe fieri exiſtimationem, adeo multis gradibus, & ſupra reliquas res naturales extulit. Sed hanc geniture ſeriem auro inditam eſſe nullo pacto, iam probaui: addoque, ſi Quercet. comparatio momentum habere poſſet, in auro gradatim quinque reliquorum metallorum formæ ineſſent actu, ſimul, & ſemel, & præterea ſua ſexta, quæ leges dicat ſubditis: ſed non eo inſaniæ adhuc Chimicos abduxit error, vt hæc audeant affirmare: forte reſpondebit plures habere hominem formas ſine incommodo, & actu: fateor actu, quantum ad exiſtentiam attinet, ineſſe homini varias formas, ſed quia rude ſint donatæ, & ſeruiant, ideo potentia habitare hominem arbitramur: Et ſi ita ſit comparatum aurum, vt in eo non pereant reliquorum metallorum formæ, audeat affirmare: nam in elementis & aliis, quæ tranſmittuntur hoc vſu venire ſupra oſtendimus.

3. Quia etiam in eo errat, vbi dicit pag. 34. *Nam quamuis metallorum differentia ſit in forma ipſa, non erit tamen proprie differentia ſpeciei, ſicut equi & hominis.* Sed omnes ſpecificæ diuiſionis proprietates, illi cõuenire iam dico: eſt enim generis in ſpecies, non vocis ambiguæ in ſua ſignificata, non fiſſura rei in partes, ac mecum fatetur Chimicorum diuiſio, non rei diuiſio in accidentia, vt eſt illa Chimicorum, quæ teſte Quercet. ſumitur ex partitione totius in partes, tum ex materiæ accidentibus, nempe digeſtum indigeſtum, completum incompletum, perfectum imperfectum. tum quia diuiditur metallum, quod eſt genus per differentias in ſuas ſpecies, plumbum, aurum, &c. & licet differentiæ non expreſſo & ſuo nomine nominentur, (quod rarum eſt) ac illæ hominis & bruti: tamen cum

accidentibus & propriis affectionibus innuant ſuam naturam & indolem quæque ſpecies, ſatis habemus: cum hoc vſu venire in multis aliorum generum & formarum diuiſionibus videamus: his dictis eodem vnde veni mihi recidat oratio.

4. Fruſtra eſt ea potentia penes naturam, quæ in actum nunquam erumpit: ſed nunquam abiuit adhuc omne plũbũ æs, &c. in aurum, nec abire poteſt, etſi mundus cum Ariſtot. ac ego ſentio ſit æternus: quia, vt idem ait 1. de ortu, vniuerſale nec generatur nec augmentatur, & plumbum cum ſit ſpecies non etiam corrumpetur, vt aliquando abeat in aurum.

5. Non abient ac dixi reliqua metalla in vnum aurum ſalua mundi fabrica.

6. Si vt iſta fiant, pereat orbis, me mortuo terras, quæ non erunt, fulminet Iupiter qui erit, & alium habeant defenſorem incolumitatis ſuæ metalla, ſed & alios Chimicos & nouum Quercet. Pythagoram, Euphorbium, Deiphobum, qui me ex vinculis metallicis cauſam dicere iubeant.

7. Non ſunt omnia metalla vnum aurum.

8. Quæ neque fuere, ſunt, nec fieri poterint vnum aurum metalla, ſecum quæque habitent neceſſe eſt.

9. Et vos ſutores defendite me veſtrum aduocatum, ſi enim Chimici aliquando omne ferrum iuſſerint in aurum, vbi acus? vbi ſubula chalybea? ſed neque æreum aut ſtanneum erit Chimicis vtenſile ad opus ſupra aurum conueniens, non forcipes carbonarii ſeu pyrolabe, & qui ex poculis argenteis modo aurum potabile ebibunt, interea ipſorum mendicitas ex caua manu cum Diogene ſitim aqua depellent.

10. Non etiam ſecundum partes vidit vnquam Chimicus, aut ratione probauit reliqua metalla abire in aurum in fodiinis, & ſi natura quid tale non machinetur, nec eius ſimia ars iſta operabitur.

11. Si plumbum abit in aurum, abire poteſt & in

ferrum,

ferrum, & æs in plumbum, & aurum in ferrum. ſed Quercet. ait cætera ratione perfectionis in aurum abire ſolummodo.

12. Paracelſ. lib. 2. ſect. 1. cap. 5. grandis Chirur. conuincit diſcipulum ſuum Quercet. erroris, dum ait, vt quoduis elementum in quodlibet vertitur: ita metalla quæuis in quælibet migrant, ferrum in æs, æs inferum, aurum in ferrum, æs, &c. Et Geber. 1. parte libr. 2. Summæ capit. 65. Plumbum præparatione certa conuertitur in ſtannum, item ſtannum in plumbum. Iſta aperte fatetur Hermes cum aliis, non igitur eſt ratio, quorſum potius abeat ferrum in aurum, quam econtra, & ſi cætera metalla anhelant aurum, & aurum in illa migrabit. Temperies non eſt efficax cauſa tranſelementationis: temperatiſſimum enim, ac Chimicis placet, aurum potius ab intemperie ſumma æris vincetur, quam ediuerſo: ſic quadrata hominum temperies nimium aut calorem aut frigus non ſuſtinet, quin ab eis immutetur, & in deterius abſcedat; non autem fortuitam ipſa mutabit qualitatem. Ita cum æs, ex Quercet. aduſto & ſuperfluo coaguletur calore, temperato aurum, ſæua exuſtio potius graſſabitur in auri temperiem, & turbidum æris incendium facilius immutabit auri mitem calorem, vel ad minus ſibi conciliabit, vt velit intempeſtiue ſeruire. Aſſerit Ariſtot. 1. de ortu cap. 6. contraria in ſeſe commigrare non poſſe, ergo qualitates temperamenti quæ inſunt plumbo non abſcedent in eas auri, ſed quod ſubiicitur his, materia: ſed materiæ nulla eſt metamorphoſis, quoniam ea ſe continuo reddit, & formæ rerum inanimatarum pereunt: aut ſi quid Fern. iudicat. lib. 1. de abdit. rerum cauſ. cap. 4. manent in mixto, certe ne ſic erit formarum in ſe inuicem abitio. Sed eum hæc tantum tria, materia, ſpecies & temperamentum in vniuſcuiuſq; rei naturalis conſtitutione contineri conſtat, & his lege ſua vtentibus nequit plumbum in aurum

abire,nullo pacto abibit. Et hoc habete ex Iſaaco Hollando, cap. de quinta eſſentia ſacchari : ex quatuor elementis eſt compoſitum aurum, exterius eſt calidum & humidum , interius frigidum, ſiccum, & album, iam vbi decantata temperies Quercetani, quæ ſollicet trāſelementationem, cum ex Hollando ſit varium & intemperatiſſimum aurum.

Nunc quod authoritatibus Galen. & Plin. reſpondeam, habeo,eſſe auri particulas, eſſe argenti apud æs, plumbum, hoſpites, qui famularia forte ſubeant apud exteros & potentiores dominos iura: ſic Cryſtallus rupem, & muſca ſuccinum habitant. Sed an ita comparatum eſt plumbū, vt apud ſe teneat alumnū lupum, qui aliquando ipſum aut deuoret, aut in nihilū redigat, ni docueris ſanioribus rationibus quam hactenus,non perſuades Chenæe, cum rupi, cum ſuccino nihil tale inferant Cryſtallus, muſca. Fodinis præcoces eſſe fructus, aut immaturos volo, abortum fatebor (etſi hæc etiam quæſtio digna ſit, quæ diſcutiatur, an metalla ſimul & ſemel vnica actione & coalitione raptim accurrentis materiæ coagulentur, ac in lapidibus, gemmis, cryſtallo, & ſimilibus fieri videmus: an potius longi temporis variis decoctionibus) ſed denuo cooperiatur vt adoleat, & ego non eo inficias; ſic ægrotanti ex vtero mulieri grauidæ medicus aſtrictoriam adhibet medelam, ſi abortus eſt ſuſpicio, ne immaturus excidat fructus: ſic foſſores humum incocto ſuper ingerunt metallo, vt ſuæ maturitatis exſpectet tempus, at hac de re tranſſubſtantiationis fabricare Chimeram friuolum eſt.

Tertium argumentum in lucro deputat maturum, vel immaturum metallum erutum, vel rurſus ſuo limo obfirmatum: equidem hæredibus lucro eſſe poteſt obfirmatum ad 30. vel 40. annos fodina, ſed præſens lucrum exſpectāt præſentanei operarii, & habeāt per me licet. Sed cum omnia metalla reſpectu auri in fieri ſint,

obiiciunt Chimicis viri boni auarum animum, & naturæ iniurium, qui vt immaturum terrę filium (etiamſi maturum ſit, argentum, plumbum, &c.) ponant in lucello, crudeliter matri ipſum eripiũt, quæ ſane ſi loqui poſſet, deteſtaretur cõceptis verbis nefaria auſa, æque ac ſi, qui hæreditatem fratris adire cupiat, vtero habẽti hominis vxori præberet aut Phthorium aut Eboliũ. Adde vt quam ditiſſimum eueniat lucrum, & opima ſpolia, fueritne expectanda vltimæ decoctionis hora, vbi omnia erunt putum aurum? Et Geber ait 3. parte Summæ: *per noſtram artem perficimus aliquot menſibus miraculum, quod ipſa natura vix poſſet mille annis.* Sed ego, demus naturæ mille quingentos, & perficiet quod Chimicus arte perficit, ſed à mundi iactis fundaminibus natura hoc miraculi non perfecit, nec Chimicus igitur arte, & breui perficiet, minor ſi non eſt certa doceat me Chimicus, vbi huiuſmodi lapidem, vbi mutatum æs, plumbum in aurum, aut viderit aut audiuerit, & tamen à mundo condito plures ſunt anni quinque millibus. Quare, vt recte Treuiſanus concludit, *qui lapidem vidit, is pariter credat.* & Geber 2. Summæ, ca. 8. *Materia coagulans argentum viuum ex illis elicitur, in quibus eſt.* En facetam hominis inſaniam vtriuſque. Quod ad me attinet, ego firmiter credo, & Zachariam Gallum, & Treuiſanum, & ſi qui ſunt alii, qui ſe iactant lapidem tandem inueniſſe, poſt multos fruſtra exantlatos labores, & dilapidationem, vt conſtat, omnium bonorũ, tandẽ voluiſſe ſuis ſcriptis ſuper hac re imponere aliis, cum, vt in prouerbio eſt, *Solatium ſit miſeris, ſocios habere miſeriam.* Et vterque vendicauit ſe ex inuidia amicorum & parentum, vt fumis patriis ſatiatus ſolum verterit: hic enim Rhodum ex Italia, ille Lauſannam ex Gallia abiit. ſed timentes & arti & vitæ abeũt? hæc enim eſt horum hominum trita euaſio: per deos immortales quis inſidiabitur eius vitæ, qui vitæ humanæ bene conſulit? quis nõ bene illi precabitur, qui tot

opima ſpolia hominibus cōceſſerit? quis eſt Rex? quis monarcha, qui nolit in delitiis habere hominem tam inſigniter patriæ vtilem? Sane dux Saxoniæ, vltime qui animam egit, cum impenſa annua multorum millium magni fecit hos homines, vt & præſens Hetruriæ dux, & per omnem pene vitam, quo ſucceſſu omnes nouimus, id eſt, indubia iactura impenſæ & temporis. At Angli in vinculis imperatoriis abiectum offerent mihi Chimiſtam, & ego, ne quid durius, neminem poſſe auribus hunc nugiuendulum adulteratorem tenere perſuadeo: dedit enim eas arti & adulterio metallorum. Sed arti cauere oportet, ne eam vulgus intelligat, ſi frugifera eſt, ac dixi, charitas iubet eam alios docere: ſed aui bene de arte meriti voluerunt nepotes hoc miraculi tacere: ſane credo, quia quam ipſi comprehendere non potuerunt, hoc ſcommate velant rem, & quá poſteri æque callent, æque excuſant.

Quare recte Richard. Angl. correct. cap. 14. truffatores in ſtercore aurum & argentum quærentes in libris ipſorum propriis, quos & ipſi proprie compoſuerunt, & ipſos tamen compoſuiſſe philoſophos teſtantur, quod veritas non teſtatur, quoniam veritatem poſuerunt, quare caueas tibi ab odore Alchymiæ, ne te interficiat. & ibid. Auguſt. ait ad Alchymiſtas: *Vos deceptores eſtis, & ſentētia excommunicationis aggrauati, cum veſtra opera elementa ſint falſa & mala.* Sed Chimici ſe non expectare decoctionem aiunt, quia non vbiuis gentium ad perfectionis ſuæ terminum adſpirant metalla, ſed certis locis: at & hoc adnecti debuit, Chimicos & foſſores vt terram aperiunt certis ſignis cognoſcere corruptelam, indigeſtionem & cōditionem eam eſſe illi metallo, quæ nunquam poſſit adſpirare ad perfectionis metam, vt aliquando ſit aurum. ſed hæc res, quia male habuit viros, non eo progreſſi ſunt: ſed ne moniti ſtudeant huic argumento facere ſatis, oppono venienti malo viri ſolertis in re metallica Belloni potius.

tius, quam meas rationes, vt videat orbis quam inepte Quercet. Chimica tueatur figmenta, inquit enim lib. 1. cap. 52. memorab. *Aurum e ſodinis occiduis erutum æquiparat ſua virtute illud orientis, & illud ſeptentrionis, aliud meridiei. Nam etſi Oriens occidente calidius eſt & ſiccius, & Aquilo meridie frigidior & humidior, tame aurum in omnibus his plagis æque ſuam aſſequitur cocturam. nã id ſeptentrionis frigidiſſimi æquiparat illud Æthiopiæ exuſtæ continuis ſolibus.*

Habet ille ibidem rationes, & experimenta, quibus ſe tueatur, & ego pro comperto habeo aurũ ex teſquis Crafurdiæ, & aliis Scotiæ famatis arrugiis effoſſum, nulli cedere, quod orbis etſi calidiſſimus habeat. Vnde & merito Paracelſum damno, qui contrarium ſtatuere videtur, tract. 2. lib. de morb. metall. At ſit quod velint Chimici, & metalla poſſe perfici, aut hanc tum tranſmiſſionem ratione confirmabunt, aut experimẽto: non hactenus audiuimus rationem, quæ noſtro iudicio nõ faueat, ſed ſe vnquam vidiſſe in fodinis plumbum, quod abiret in aurum non dicent, arbitror, & quod non efficit natura, ars non efficiet Chimicorum, quæ naturam ſe imitari profiteatur: id eſt, ac dixi ex Richard. Angl. correct. cap. 1. Ars imitatur naturam, non quod nouam ædificet, ſed quod illius virtutem ſubtiliet. Eaque quam adferunt Ariſt. 2. Cœli authoritas pro me facit. bonum enim complementum illud vnũ eſt, quod non indiget operatione qua fiat bonum, & perfectio omnis rerum in eo eſt poſita, vt ſuſcipiant vltimum complementum: ideoque nos dicimus terra operam dante & eius affectionibus, primum agens educere ex certæ materiæ potentia formam, quæ perficiat eam metalli ſpeciem, id indiuiduum quod primum agens ſibi conficiendum propoſuit, & eouſque inſiſtere, quoad res efformanda, puto ſtannum, plumbum, aurum, &c. ſuæ perfectionis complementum adepta fuerit vltimum: adipiſcitur autem, vt eſt perfectum in

ſua ſpecie plumbum, aurum, &c. Sed ſi quid indigeſti natura impedita, aut volens, vt fit, relinquat aliquando, id vt abſumat ars non curo, ſed indigeſtas eſſe metallorum formas, & diſpoſitiones ac Quercetan. vocat, quæ illam auri anhelent, non perſuadent: ſed aliam eſſe penes artem digeſtionem, niſi retrimẽtorum corporeorum abalienationem, niſi politionem externam, non nouæ formæ inductionem facile eſt probare. A peritiſſimis enim Philoſophis ſcriptum audies, quicquid rei ſua ſpecie perfectæ, quam illi in actu (ſic enim loquuntur) eſſe dicunt, acceſſerit, id neque ſubſtantiam eſſe poſſe, neque formam, ſed ſolius accidentis rationem ſubire.

Deinde, ſi artificialis res ea eſt, quæ ab intellectu practico libera cum voluntate efficitur opera externa, & naturalis ea, quæ eſt ex materia & forma. 2. Vel ipſæ naturæ, puto materia & forma. 3. Vel diſpoſitio & qualitas conueniens ſubſtantiali formæ rei naturalis, vt eſt calor ad ignem. 4. Vel qualitas materiæ primæ conueniens, quæ aduerſatur eſſentiali formæ, vt calor eſt res naturalis, quæ materiei aquæ ſatis conuenit, quam tamen forma non agnoſcit pro ſua: patet eſſe primi agentis, ſeu naturæ informantis indere in hanc materiem, quam velit aptam formam, & naturã efformatam ſeu effictam eſſe eam, ac nunc loquimur, non quæ eſt materia vel forma abſolute, ſed relatiue ad motum & requiem naturalem, & ſic ex ſignificato materiali illam rem, quæ eſt materia, vel illam, quæ eſt forma, ſignificat, & infert, quod ab ea dependent motus & ceſſatio, quæ à natura ſunt, ſeu naturalia, vnde eſt vt natura non ſit categoriæ ſubſtantiæ, ſed relationis.

Ex his hanc colligimus definitionẽ, *natura eſt principium principale*, ad differẽtiam principiorum inſtrumentalium, cuiuſmodi ſunt qualitates materiam diſponentes: *& cauſa*, quia motus & requies dependent à natura agẽte vel patiente: *naturæ inſtinctu, propter cauſum*

ſum & fortunam: eius in quo eſt ac pars eſſentiæ, quia natura quatenus talis, eſt cauſa internorum motuum & effectuum ipſius mobilis quod conſtituit, & quod inhabitat. Nunc conferamus iſta cum re artificiali.

1. Natura eſt principium internum, artifex res eſt externa.

2. Naturalis præcedit vt ſit artificialis res, & niſi ſit illa, hęc nequit eſſe, & ſi omnia metalla naturaliter ſint aurum, & aurum præcedit artem, iam quod eſt, fictori peregrino non habet opus, ſed aiunt ſe breui tempore facere, quod natura vix poteſt longiſſimo, at his modo reſpondimus.

3. Sed metalla cætera potentia ſunt aurum, ſed & huic infantiæ obuiam itum eſt.

4. Cauſæ motus & quietis ſunt penes naturam, & illi ingenitæ, vt moueãtur igitur ab imperfecto ad perfectum metalla, requirunt motum, ſed cum penes artem is non ſit, perfici ea tunc à ſola natura perficitur.

5. Opifex in re naturali eſt pars eſſentiæ, & aduenit aliunde rei artificiali artifex, & abſoluto opere deſinit eſſe is qui fuerat, natura in re naturali adhuc permanente.

6. Per ſolam remotionem vel additionem alicuius rei non generatur res aliqua, quæ prius non fuerat, ſed per ſolam remotionem aliquarum partium à lapide, ex eo fit Mercurius: vel ex charecteris impreſſione, vt in fuſili ſtatua: igitur res artificialis nõ penetrat in eſſentiæ naturalis interiora, vt eam efficiat aliam ab ea, quæ iam eſt.

7. Per ſolum motum localem, exteramque additionem vel ſubductionem non generatur noua forma, quæ prius non fuit, ſed ars mouet tantum motu locali externo, addit vel demit materiei.

8. Ens naturale, ęſt id quod eſt compoſitum ex naturis materia & forma, vt autem aliqua res ſit huiuſmodi, habeat in ſe principium motus & quietis opor-

tet: patet, omne ens naturale eſt elementum vel ex elementis, ſed talia gaudent motu & ceſſatione: elementa enim ſurſum & deorſum: ex elementis, vel ſuo proprio, vel illo ab elementis mutuato motu: at artificialia formam motiuam intrinſecam ab artifice non accipiunt.

9. Penes artificem non eſt vti naturis ac inſtrumẽtis, ſed hãc poteſtatem ſibi intactam reſeruat primum agens, ſeu natura informans quam diximus.

10. Non poteſt ſecernere materiam à forma ars, vt vtraq; ſuis locis integra permaneat, ſic Dionyſ. Zachar. opuſc. Alchym. par. 2. dicit: *Impoſſibile eſt arti primas formas dare*, id eſt, elemẽta in mixto coadunata ſeparare ab ſe inuicem, & ait: *certiſſimum eſt quatuor elementa minime componi poſſe, niſi prius deſtrueretur: quapropter non eſt opus hac elemẽtorum Sophiſtica ſeparatione, falſaq; ad operis diuini compoſitionem*: Falſam eſſe talem ſeparationem hoc ipſo probatur, nempe duo elemẽta aërem & ignem in aliis duobus aqua & terra cõprehenſa, vt affirmat in fragmento theorico Ioan. Iſaacus Holandus Chimicus. Quo fit, vt veram eorum ſeparationem cognoſcere minime poſſumus, quãto minus perfectam coniunctionem. Experientia comprobatur elementa, quę ſeparaſſe ſe dicũt, nihil habere cõmune cum natura verorum elementorum: (vt ait Valerandus) exemplo ſit ipſorum oleum, quod vocãt aërem, humectat & madefacit omne quod tangit, cõtra veram aëris naturam, & Holandus in Theoria ait: *Vnus Deus elementa ab ſe inuicem diſiungere poteſt, tum tres ſpiritus elementis inſidentes, præter eum, nullus.*

11. Ipſi primo motori hoc non eſſe integrum videtur, cum expulſæ à corporibus formæ non intrent aliud nouum, ſed intereant, atq; vſu venire in elementorum mutua tranſcolatione dicunt Philoſophi.

12. Si ars conſeruare formas à corporibus ſeparatas nequit, non poteſt eas in alias mutare.

13. Non

13. Non poteſt eam naturam, quæ diſpoſitio & qualitas eſt formæ conueniens ſubſtantiali rei natura-lis euocare ex hac re, vt alii eam indat, igitur neque elicere vnam metallis formam, quam cum illa alterius commutet.

14. Qualitatibus inimicis formæ, amicis materiæ vtitur quidem ars, ſed ceſſante arte redit ad ingenium ſuum ars ex inſtinctu formæ regentis ſuum domicilium.

15. Sed has qualitates, quibus vtitur, acceptas naturæ refert, cum ars ex ſe nullam, vt formam, vt materiem, ſic neque qualitatem faciat.

16. Eiuſdem eſt opificis & efficere & conſeruare: ſed Chimici quod ſe geſtiunt efficere aurum, regere & conſeruare nequeũt: eſt enim hoc officium præſentis & interni imperii: at Chimicus ſemper vt adſit efformato à ſe auro, tamen illi ineſſe nequit. Reſpondet ſe tale effinxiſſe aurum, quod gubernatore opus non habet, vt quod temperi non cedat, corroſionem nõ ſubeat, & non alteretur corroſiuis: huic menti fauet Bellonus loco citato. ſed tinctura auri omnium fidei detrahit. Nam probe Lemnius cap. 21. lib. 1. de nat. occult. mirac. *Nihil eſt in vita hac caduca & mortali, quod ſuas non experiatur aduerſitates atque incõmoda, multisq; vexationibus, atque inſultibus non ſit expoſitum.* & ſi verum Chimici tradunt, per Stybium, hydrę ſanguinem, & ſpiritum acerrimum, per acetum, & alia quæ Fiorouantus & Paræus in auri potabilis trãsfiguratione docent, vitiatur aurum, & æternitati non ſuperat, vt quod redigatur in veram lunam, ſiue vt Holandus ſupra dixit, frigidum & ſiccum album internum (nota conuerſionem auri in argentum etiam ex omnium, tum ciniflonum tum Chimicorum, certa experientia) tandem in Mercurium, auri hic Mercurius in fumos, in tãtum vt omnia quæ dixit Quercetan, pag. 24. aliis metallis ignis violentia euenire poſſe in cineritio & copella, ea

& auro accidant mortificato, & Chimice præparato. & iubeat Paracelſ. vt ſemper, Quercet. purgare cerebrum, vt veritatem palpabilem auſcultet, hic ait tract. 2. cap. lib. 2. de morb. metal. tria fragilia corpora (puto Mercurium, Salem, Sulphur) progreſſu temporis metalla per ignem abſumunt: quanquam autem & argẽtum non vt reliqua metalla ſe habeant, hoc eſt, nõ dent ſcoriam neque æruginem: nihilominus ſcitote, quod etiamſi oculi non videant ſal auri & argenti, tamen in pondere percipiatur minutio, quæ in cupro & ferro eſt viſibilis, propterea quod fiat craſſo modo, in auro vero & argento ſubtilis fit ſubſtractio, ad extremum tamen totum hoc modo conſumitur, corpus ſulphureum cõſumitur igne: (nota in fixo auro ſuum ſemper ineſſe ſulphur contra nugas Chenæi noſtri) nam flores in cineritio apparentes, & ſtricturæ ſiue ſcintillæ conniuentes illæ veniunt ex ſulphure, quod eſt in auro & argento, & ſunt conſumtio metallorum, iuxta quorum ſulphuream naturam tales ignei colores apparẽt. Mercurii corpus fumi more aufugit: quæuis enim res in igne iacens dat ſuum fumum, prout metallicæ fixationis conditio eſt.

17. His appendicem hanc necto, non ideò metallum aurum præſtare cæteris, ac falſo ſibi hucuſque perſuaſit mundus, quia igne non domatur, & plane falſam eſſe eam & Poëtæ, & Plin. fabulam, *vni auro nil deperit igne:* aut ſaltem excuſandos eſſe tantos authores, qui, quantum ex aurifabrorum officinis, & aurifodinis, vbi ſeparatur à ſuo ſpiſſamento, colligere potuerunt, id ſcriptis commendarunt, ineptumque eſſe Quercetan. qui quod in ſua videat arte, & ſcripto commendet, ipſe non videat, non ſentiat: at in ſuas partes temere trahat futilitatem, aut ſaltem inexploratum bonorũ virorum teſtimonium: taceo quod potuerit hic vidiſſe, ac dixi, circularem metallorum tranſmigrationem.

18. Ad metallorum tranſſubſtantiationem requiruntur

runtur hæc officia naturæ, ars cum his omnibus vti nõ poteſt, nec metalla in aurum tranſelementabit.

19. Dicit Ioan. Mehuinius in Lamentationib. naturæ, aurum & gemmæ per me naturam ſolum cõponuntur, nemo enim proportiones præter me nouit.

20. Ait Bachonus Speculi cap. 4. Natura tam perfecta quam imperfecta cuncta ſola decoctione perficit, ſiue facit metalla, & infert. O nimia dementia, quis vos cogit Chimicos rogo per aliena regimina melancholica & phantaſtica velle perficere metalla? quemadmodum quidam dicit, veh vobis, qui vultis ſuperare naturam, & metalla pluſquam perficere nouo regimine ſeu opere orto ex capitoſitate veſtra inſenſata! hũc colophonem addat Holandus ex Theoria, hæc tria elementa, ignis, aër, tellus, inſeparabilia ſunt.

Cum etiam quatuor ſunt genera artium à fine ſumtarum, videre nõ erit anxium, ſi apud horum aliquod metallorum peregrinatio deliteſcere poſſit. 1. Eſt cõtemplatoria philoſophia, & vt Chimici dicunt, Chimiam eſſe feliciſſimam totius philoſophiæ finem, ita ne hac in parte locum habeat, doceo breuib. nã philoſophia moralis, politica, ſupercœleſtis, aut naturalis eſt: ſed hæ partes, quæ mores priuati, vel omnium, vel œconomiam familiæ & reipu. motus cœleſtes & ſubſtantias à materiæ concretione liberas ſpectant, longe digniorem ſibi proponunt finem, quam eſt metallorũ ille rubiginoſus, & ſquallore natiuo obductus. Reliqua eſt naturalis familia, in quã ſe coniiciat: at ſi Chimicos quæramus, an in eo bonorum ordine res, quam illi tantis inueſtigant laboribus, ponenda ſit, qui ſummus dicitur, plures reſpondebũt ita ſe arbitrari: at per deos, quid hoc eſt aliud, quam addictum terræ habere felicitatis humanæ gloriam, quę cum eius dignitate æternas exercet inimicitias? & quod ad aurum attinet,

in eum finem id natura deſtinat, vt homini ſeruiat, affectus autem noſtros auro ſubdere non iuſſit, etſi cum Chimicis alii, id ac natura præſtantiſſimum ornamentum admirentur, quod tamen in philoſophiæ naturalis claſſem reponere non Zachar. 2. part. opuſc. Chimici. Sed eſt actiua philoſophia, quæ in actione tota eſt, vbi vero ab actione ceſſauit, nullum ex ſe opus poteſt oſtendere, vt ſaltatio, cithariſtria, neque hic auriſigmentum caput reclinabit. eſt comparans, quæ nihil efficit, verum res quaſdam ſtudio & labore venatur, & acquirit, vt piſcatio, venatoria, non hic video plumbi transfuſionem. eſt factiua, quæ abſoluta operatione aliquod opus oſtendit, eſtque triplex. 1. vel facta conſeruat, corrigit ac reparat, vt nauium gubernatoria, & qui laceras veſtes, & detritos calceos reſarciunt, hic ad nomen cum aliis non reſpondent Chimici. 2. vel & facit, & facta conſeruat, vt ædificatoria: huius enim duplicia ſunt opera, domus nimirum nondum exiſtentis conſtructio, & ruinoſæ reparatio, hic pro ſe cauſam nõ dicit Chimia. 3. vel denique res componit, & nouum opus, & ea quæ non ſunt, efficit, vt ſutoria, textoria. hic degere vitam potuit Chimicorum adinuẽtum, niſi rationes prius dictæ obſtreperent, niſi hæc artis ſpecies ſubalterna cõtenta addere rei naturali accidentariam formam, vlterius tentare nollet, niſi ſibi conflare negotium hæc artis ſpecies timeret, ſi Chimicis chimæris adhæſerit, quæ illi exhibere carbonarium præter ſpem poſſent ad operis cremationem imperfecti. Sed Zachar. Chimicus dicit opuſc. par. 2. cum cæteris philoſophis erit fatendum Chimiam cõtineri ſub ea philoſophiæ parte, quam operatiuam vocant, & ſub medicina, quæ ſui veritatem non aliunde comprobare, quam ab experientia poteſt: ſed prouoco ad ipſum Zachariam, qui alibi ait: Chimia eſt philoſophiæ naturalis pars quædam, docens modum perficiendi metalla

ſupra

ſupra terram ex imitatione operationum naturalium, quanto proximis fieri poteſt: nam ſi eſt naturalis philoſophiæ pars, quid ſoli Chimiam operationi concedit,& econtra? quid ſe non reddit? cur & ſupra & hic ſibi contradicit? ſi pediſſequa eſt medicinæ, quid vſq; adeo abhorrent, & medicinam dominam vſu & ratione comprobatam Chimici? ſi veritatem ab experiētia comprobare, ac medicina, vnquam potuit Chimia, quid nō, ac medicina, iam olim probauit? aut iam nūc comprobat, vt tandem illi apud nos ſit fides? Sed ſane ineptit Zachar. cum medicinam totam ab ſola experientia pendere ait, cum theorica etiam ratione vtatur,& deſipit, vt ſubdit Chimiam medicinæ, cùm lapidi philoſophico & tranſelementationi metallorum cum medicina nihil ſit commune, vt quæ nūquam cogitauerit.

Sed ſane ſi naturalis eſt pars philoſophiæ, etiam ſcientia eſt, & in hac 4. deſideramus. 1. vt ſit cognitio certa. 2. neceſſaria. 3. cauſæ ſint perſpicuæ. 4. vt omnia demonſtratione concludantur: ſed in Chimia plurima ſunt, quibus argumentatio æternum dicit vale, ex quibus veritas quaſi laqueis irretita educi minime poteſt, & metalla omnia eiuſdem eſſe ſpeciei veritas apodictica nunquam admittet, cum philoſophia ſpeciem in ſpeciem poſſe confundi neget, prçcipue ab arte: vnde ſuperſtitioſæ alicuius religionis (vt Galeot. Martii verbis vtar, cap. 30. doct. promiſc.) nomen potius, quam ſcientiæ aut artis Alchymia ſubibit. Sed cognitionem eſſe certam, eſſe neceſſariam, & neceſſitatis cauſas in Chimia eſſe perſpicuas nemo Chimicorum eſt qui dixit, & ego in ſuperioribus nihil tale fieri ſatis probaui. Sed quoniam imperfecta metalla, dicent, non perueniunt ad illum perfectionis vltimum finem & complementum labore naturæ: ideo indi-

gent operatione artis, cuius auxilio naturam ipſam imitando illa tandem perficiantur, ac finem aſſequantur, ad quem à natura ſunt ordinata, nempe vt fiant aurum: nos iam probauimus nihil tale meditari naturam, & perfectiſſimum adepta eſſe gradum metalla ſingula, & eum, quem cuiusque natura ferre poteſt, naturamque his effectis genituram pro derelicto habere,& quæ produxit in ſuum æuum gubernare,ne temere occidant, ſed præfinito à natura generante, tempore: ſatisque docuimus externam rei delineationem penes artem eſſe, nec poſſe operari, nec cooperari in intrinſeca rerũ natura, vt formas his corporibus ereptas cum illis aliorum commutet, his iterum reiectis illas vt recipiat. Scribat tũc Philoſoph. 2. Ethic. artem aliqua perficere, quæ natura nequit, alia imitari, ſed perficit rude ingenium ſanis documentis,nõ iubet beluam abire in naturam humanam: operatur quæ natura impedita,aut ſponte peccans,non poteſt,aut nõ vult limare, gibbos equidem aut applanat, aut palliat analectide, phimoſin fœminis, viris frænum aperit, ſimia eſt naturæ, ſimulat homines, excudit beluas, zeuzidis vuas,metalla ad viuum ſculpit,exprimit penicillo, calceum facit: at iſta non probant artem in rerum eſſentiam agere: etiam arte adiuta natura flores elicit ex arboribus alieno tempore, focillando, calfaciendo, nutriendo: ſic alba ſpina Lutetiæ Pariſiorum ad Bartholomæi floreſcit: ſic Saxoniæ, & alibi vitreæ domus dãt granatis, lauris, aurantiis in ſolo inimico quaſi vitam, vt frigus arcent, Solem admittunt hyeme: ſic quam dedit nobis vitam natura, cibo & potione conſeruamus, & arte medica producimus: ſed ideo fingere nos poſſe in angelos abire, beluas in hominem, arborem in taurum, vlmum in quercum, plumbum in aurum extremæ eſt inſaniæ, aut poëtici Enthuſiaſmi, qui ad metamorphoſin Ouidianam referri debet,ne illi cum

nuda

nuda veritate ſit conſortium.

Sed triticum temporis ſpacio dicit Quercetan. & pro loci conditione degenerat in ſiliginem, eſto ſimile in ſimile, triticum in triticum, idem in ſeipſum abeat: ſed cum ſit ſiligo purius & perfectius triticum, non degenerat, potius contra ac ille ſperat, eſt mutatio imperfectioris tritici in ſiliginem perfectiorem: & ſi Quercetan. nomen intellexiſſet, ſuæ rei conuenientius inueniſſet argumentum: nam genus in ſpeciem non dicitur degenerare, ſed voluit dicere triticum deficere in ſecale & deterius granum: ſit ita, ſed nobis in controuerſia eſt poſitum, an imperfecta abeant in perfectiora, imperfecta metalla in perfectum aurum, cum reciprocam commigrationem Quercet. non admittat, & hoc me doceat, aut meras nugas, quare & ſuo telo ſeipſum hic iugulat.

Iterum obiiciant, *ars imitatur naturam*, ex Ariſt. 2. Metaph. aſſumendo ſubſtantiam ferri, aut æris, illamque miniſtrando naturæ, ſolutionibus, diſtillationibus, & coagulationibus reiteratis, vt tandem ingenioſe perficiatur, ergo ſe intelligant mutuo natura & ars: & ſit ita, & his operis ſpiſſamento excocto materia euadat purior, præterea quod agat ars non video: & ſal eſt factitium in Gallia, qui eaſdem cum illo Poloniæ foſſili habeat vires: ſed quam parum medice Quercetan. iſta dixerit Gal. teſtatur libr. 4. capit. 20. de ſimpl. med. facult. de aliment. lib. 3. & lib. 9. de ſimpl. med. facult. Sed ſimiles ſint ſibi, Sol ignisque excoquant, non eſt ſali tamē factitio alia eſſentialis indita forma, quam quæ prius fuerat in aqua ſalſa, alioqui & ferro, ceræ, plumbo liquefactis nouæ accederent formæ, quod nō conuenit dicere. Et quamuis propriæ immediatæ, & ſecundæ naturæ defectus, vt Chimico male concinnanti res hoc etiam demus, ſint potiſſimum cauſa, cur

ex re quapiam non gignatur altera ei ſimilis; tamen ſi materia idonea inuenta eſt, non erit artis ex vno alterum & ſibi ſimile producere, penes quã non eſt primi agentis, non eſt formæ, ac dixi, poteſtas, nedum hoſpitium, ſed primum agens, & forma Elpheſteria informata ſolummodo rerum genituram perficiunt. Sed dicet ratione naturæ agentis Chimia eſt opus naturale, ſiquidem materia illud ipſum eſt, quod decoquendo appetit, retinet, digerit, expellit, permiſcet, corrumpit, generat præcepto Dei omnipotentis lapidem, cum quo natura informat metalla per ipſam permixtionem. En nouam philoſophandi rationem, en formæ omnes operas tralatas in materiã, O vbi ille prior Quercetan. qui tam acerrime tutatus ſit formæ imperium!

Sed quid facies, mendax ſemper immemor ſui eſt, & qui technam aſtruere cogitat, ſæpe ex inopinato ſibi non adeſt, ſe obliuiſcitur, & hamum deuorat: denique dixi iam ſæpe, naturam vt perficiat generationem non habere, opus arte, non vt miſceat qualitates per ſubſtantias. Deinde ita perſpicue opera artis & naturæ diſtinguit Ariſt. 2. Phyſi. vt iſta non habeant opus mea cenſura, niſi etiam latomus, quia ſculpit, quadrat, mollit, lenit, macerat, ſcindit, glutinat, cæmentat lapides, & quatenus domum ex his conſtruit, ſit res naturalis: & à vero abhorret Chimia decoctrix, quæ naturam in ſuas partes velit trahere, cum penitus illa materiæ pręparatio, ſiue Elixiris philoſophici fanatici ſit artis opus, æque ac decoctio olerum in cœnam, ſic ait Geber in Summa: *Scientia noſtra per diuerſa non perficitur: at ſolum per vnicam rem, cui nihil addimus nec diminuimus, ſed ſuperflua tantum remouemus, præparatione ſola ſeparando.* En tibi totum opus ab arte dependẽs, Quare vt ſit Chimiæ ſuus lapis: (qui tamẽ cum puluis ſit, ſi

ſit

ſit, ac non eſt, aut vnquam eſſe poſſit, vides ac in aliis etiam hic Chimicos fucum facere) tamen adhibere Deum huic impoſturæ agentem proximum, impium eſt, quæ Geberi tota ſapiat cacangelium. Sed an cum eo natura informet metalla, ignoro, hoc ſcio naturam nullis humanis adminiculis egere, vt materiem formis informet, vt eſſentiam perficiat, alioqui primi agentis mutila eſt poteſtas, & non ea, quæ rerum moderetur amuſſim. Sed ait Treuiſan. 3. part. de lapid. philoſophic. *pro gradibus alterationis Mercurii per ſuũ ſulphur vincens Mercurii frigiditatem & humiditatem, diuerſi colores oriuntur, colorum huiuſmodi primus eſt nigredo. Saturnea. 2. Albedo Iouialis. 3. Lunaris. 4. Venerius. 5. Martialis. 6. Solaris. 7. Vero vno gradu per nos altius adducitur, quam per naturam, ſiquidem perficimus, & plus quam perfectum reddimus rubro, ſanguineóve colore lapidem.* Hinc infero lapidem philoſophicum vno gradu decoctionis ſuperare aurum, & præterea dico, quæ eſt ratio lapidis ad aurum, ea eſt auri ad ferrum, & ita de cæteris metallis, atque lapis ratione vlterioris decoctionis aurum multiplicat, ergo & aurum debet multiplicare ferrum (ferrum, vt hac etiam eadem parte dicit, vno tantum gradu decoctionis ab auro diſtat) & ferrum alia metalla, quorũ hic eſt ordo ex parte iam citata: calor & ſiccitas digniora ſunt elemẽta, quæ vincere conantur alia duo, frigiditatem & humiditatem in Mercurio dominantes. nam cœleſtes motus excitãt alios motus calorum naturalium, per quos Mercurii motus, id eſt, qualitates mouentur, poſtmodũ ſucceſſu longo temporis Mercurii ſiccitas vincit gradum vnum ſuæ humiditatis, & fit plumbum, aliũ quoq; deinceps gradũ vincit, & fit ſtannũ: tãdẽ calor Mercurii iterũ paululũ humiditatis ex frigiditate vincit, & fit luna: calore adhuc plus dominãte, fit æs vel Venus, & poſtea ferrũ, atq; Sol perfect⁹. Hinc cõcludo cõtra alios Chimicos,

ac dixi,ferrum vno,vel nullo gradu decoctionis,id eſt, perfectionis teſte Bachono, cap. 4. Speculi, ab Sole differre.

Si autem medicinam ferri requiras, dicit Penotus Londrada Chimicus capit. de ſulphure auri, &c. *vtimur tinctura auri debita parata,loco eius auri.* item contra naturales omnes Philoſophos, & etiam aliorum Chimicorum, qui cauſam dant metallis efficientem, pro nobiliſſimo poni elemento ſiccitatem: ſed vt ferrum non multiplicat alia metalla, ſic neque auri proiectio,ſic neque lapidis. Sed infert Treuiſan. cum miraculum hoc Chimicum ſit plus quam perfectum, eatenus alia perficit,& addit cauſam hanc: nam ſi non perficeretur amplius, quam à ſua ſimplici natura, quid opus eſſet tantum impendere temporis, vtputa menſiũ nouem cum dimidio: vltimæ parti dicimus, fruſtra & pluſquã fruſtra huic idioticæ vanitati tempus impendi,cum & ipſemet dicit in libri ſui præfatione, Chimia facultates dilapidat, laborum, nominis,& famæ iacturam facit. Et 2: part. *Fugite ſophiſticationes Alchymiſtarum nequam,& quoſcunque alios, qui iſtis fidem adhibẽt.* Primæ parti huius argumenti damus Geberum, qui 2. part.lib.2.Summæ.cap.86.ait: præparatione medicinæ ſolaris tertii ordinis eſt, vt per ſublimationis modũ lapis perfectiſſime mundetur,& illius additamentum, ergo & lapis, quem pluſquamperfectiſſimum dicunt, adhuc perfectione opus habet,quę eſt per ſublimationem. Deinde lapis ideo fit,vt fiat aurum, ſed Chimia imitatur naturam,& natura corrumpit vnum, vt aliud generet, id eſt, ab imperfectiori, quod eſſe deſinit,ad perfectius,quod eſſe incipit,progreditur:quare & ipſe lapis,cuius terminus,ad quem eſt aurum,erit auro imperfectior, contra ac putarunt Chimici, & male ſibi conſulere,dum contraria ponunt principia.

Sed fatetur Quercet. Chimiam ratione miniſterii eſſe opus artificiale, quid tum? & latomus etiam eſt res naturalis, ſi perſonam ſpectes, quia ex naturis eſt compoſitus: & illi ſunt ſubiecta materia res naturales, vt lapides, calx: habet tamen hoc nominis, & condit domum quatenus artifex, non quatenus ex naturis eſt, & res naturalis: & lectus vt eſt lignum, ſui motus principium in ſe habet, atque vult Ariſtot. 5. metaph. tamen quod ſit lectus ab arte habet, & lex eſt artificialis, & artes hoc nominis adeptæ ſunt ratione miniſterii: & huius ratione diſtinguit ab ſe inuicem naturales & res artificiales Ariſt. 2. phyſ. Et Chimia, ſi quid ſit, ratione miniſterii hoc eſt, quod eſt, non ratione naturæ: ratione manus operantis, non naturæ præſidentis, etiamſi mutuo ab natura accipiat materiem quam fucet, quam infinitis laboribus perdat.

Sed ſub quo genere Chimiam reponam plane neſcio, cum ſit neque ſcientia, neq; ars, ac probatum eſt, dabisque veniam lector, ſi hanc verboſam vanitatem, & merum ſtultiloquium aliquando artem voco in diſputationis ſerie, vt veritas Chimice debilitata tandem emergat è funis & furnis, niſi mauis illi artis nomen adaptare, quia nequiſſima ſit techna.

Sed generationem, dicent, Chimia & corruptionem, & informationem naturæ ſubminiſtrat operanti, quæ aſſequi ex ſe natura non poſſet: Primo cuius opificis ſunt opera, generatio, corruptio, informatio? puto naturæ ſolius, & hæc natura vel eſt materia, vel forma, vel efficiens materia ſecunda & metallorum ſunt elementa (ſic dicit Zachar. part. 2. opuſc. ex Ariſt. natura operatur ſub terra in procreationem metallorum quatuor qualitatibus, id eſt elementis, igne, aëre, aqua, terra) quæ ſuis qualitatibus agentibus & patientibus non ſufficiunt ad ortum & interitum metallorum. 1. Quia ſunt agentia mota. 2. Quia patibilia, nec materia per

ſe, quia non agit, ſecus ac ſupra putauit Quercet. nec forma, quæ eſt illud cuius gratia aliquid ſit. nec materia proxima metallorum ex Chimicis, argentum enim viuum non agit. nec ſulphur. 1. Quia dicit Treuiſ. parte. 3. Sol eſt purus ignis in Mercurio, Sulphur eſt purus ignis in Mercurio, ergo aurum nullo modo differt à ſulphure: nam quorum definitiones eædem, ipſa eadem ſunt, ſed aurum non generat metalla, igitur neque ſulphur. 2. Quia non conuenit inter Chimicos ſulphur ſitne principium metallorum an non: & inquit Treuiſ. ibid. Sulphur non eſt quippiam à Mercurio diuerſum, diuiſum aut ſeparatum, ſed eſt ſolum caliditas & ſiccitas, quæ non dominantur in frigiditatem & humiditatem Mercurii: & ipſe Mercurius componitur ex 4. elementis, ſed hydrargyrum non agit, igitur & Mercurii alter ego nempe ſulphur non aget. 3. Si ſulphur ſit tantum caliditas & ſiccitas non videtur, ſed Paracelſ. tract. 2. cap. 1. lib. 2. de morbis metallicis, in omnibus metallis ſulphur video: quare & hæc concinnent priuſquam agere dicatur, vt quid ſit intelligamus, an ſubſtantia, an accidens. & Quercet. dicit pag. 34. argentum viuum metallorum materiem dixerũt Chimici, addiderũt nonnulli ſulphur. 4. Cum ſulphur hoc non ſit actu in fodinis, actu informare non poteſt, & ſic metalla formas habebunt ſemper potentia, nunquam actu. 5. Probauimus calorem ſulphureum non eſſe cauſam coalitionis metallorum, ergo multo minus informationis, generationis & corruptionis. igitur eſt cum his operans natura efficiens, hanc ponit Plato Ideas eſſe. Democritus & Leuſippus atomos. Ariſtot. cœli & Zodiaci motum: nos cum Bellono primum motorem, noſtramque Elpheſteriam in natura ſecunda, & ea ratione quam diximus.

Sed quæcunque tandem hæc ſit cauſa, neceſſe eſt, vt ſemper ſit, neceſſe eſt perennem eſſe ortum & interitum,

teritum, igitur neceſſe eſt, vt ſemper aſſideat genitis, & perpetuo generet: ſi aſſidet, & continuo operetur, ſi & vult & poteſt orta interimere, & interemta reſtituere in integrum, ſaltem quoad ſpeciem, ſane opus illi eſſe Chimia, vt corrumpat, generet, & informet male ſubticuit Ariſt. 2. de ortu, acutiſſimus alioqui naturæ inueſtigator generantis, quem Auerrois plurimi facit, cum à mille quingentis annis, tot enim inter vtrumq; interfuere, non eſſe in eius ſcriptis errorem alicuius momenti inuentum aſſerat: ingens profecto laus ait Galeott. cap. 28. promiſc. doct. cum à tanto viro, vt Auerroidem cognoſcimus, proficiſcatur: ſed aliam eſſe rem ſuam generationem, corruptionem, & informationem dicāt Chimici (ac ſæpius) quam nos putamus, & nunc refellimus, tamen quicquid ſit, vel erit naturalis vel artificialis, vel inter has quæ ambigit, vt Quercet. mecum fatetur. non eſt naturalis ex dictis. eſt artificialis? tunc accidentarias dabit tantum formas: & quod inter hæc duo ambigat, ego in rerū inueſtigatione naturalium ſeria adhuc non reperi, nec etiam me multo oculatior Ariſt. qui res omnes dicit eſſe, vel naturales, vel artificiales. Sed impediatur natura, & impedimento manum adiutricem ferat ars, iam antea dixi in eſſentia nullum eſſe vitium, ſed in mole corporea, quod applanat, tollit ars: ſed in concinnatione partium ſolidarum, quam malleat, temperat, mollit, focillat, reſtituit. Sed crudam à fodinis erutam materiam digerit ars, etenim ſpiſſamenta excoquit, ſecernit, ſic abortum octimeſtrum cibat nutrix, fouet, componit partes corporis, retundat caput, producit brachia & pedes, ſuperuacanea amputat, & quæ natura caſu aut volens impedita perficere non potuit, reſtituit ars. at forma rerum non ita comparata eſt, vt paulatim adueniat, quæ tota & in temporis momento in materiem imperium accipit.

Reliqua igitur eſt materia in quam agat ars, eam digerendo, vt fæces excoquat. non eſt tūc artis corrumpere, generare, non ancillari naturæ in eſſentia rerum concinnanda. Sed nec qualitatibus poterit vti ad placitum ars, ſi mixtio fiat per cōfuſionem elementarium qualitatum, quæ vires remittunt, vt ipſis reductis ad aliquod medium fiat tertii alicuius generatio, ſi totæ totis permiſcentur, vel ſi cum Gal. 1. de element. elementa ſecundum ſubſtantias miſceantur: vtcunq; ſit, cum miſcere corpora tota totis non hominis, ſed primi agentis & naturæ ſit opus, ac vult Gal. lib. 1. de temper. certe neque qualitatibus ad generationem, neque ſubſtantiis ad efficientiam ſui auri ex plumbo, ferro, &c. Chimicus poterit abuti pro libito, non igitur tranſelementabit metalla ſua arte.

Quod ad illud Ariſt. attinet 9. Metaph. *Aliquid ex aliquo fit dupliciter, mediate & immediate, ex materia prima mediate, & proxima immediate*, dicere ita conuenit: ſed non dixit ideo eandem rem ſecundum eſſentiam immediate à natura generari, & mediate ab arte mediate à natura, & immediate ab arte.

Præterea vel Chimico fideiubente nullus poteſt in menſura & proportione debita cōſequi naturæ intentionem, ſed ſi ars æquiparat facto à ſe auro naturam, & Chimicus ſibi non conſtabit, cui eſt curæ in omnibus ex imperfectis perfectum metallum conficere, quod niſi adſit materiæ proportio ad formam, & agentis ad patiens, & modus in efficientia, & menſura in determinatione, nunquam exibit in auras aurum Chimicum. Et cum artis Chimicæ tum finis idem ſit naturæ, vt Quercet. loquitur, nempe, vt ex vnione iſtius formę cum ſua materia aurum tandem generetur, quorum cum cauſæ omnes ſint eædem, dicit & effecta eadem neceſſario eſſe debere: & ego, ſi in omnibus conueniunt, in pondere & menſura conueniant, minimis iis

tricis

tricis quæ generationi ſubſeruiunt: ſi in maximis, etiam in his debent conuenire.

Sed male habet viros & qualitatum & ſubſtantiarum mixtio, & ponderis & menſuræ regula, & hæc pertinent ad cauſas & effecta, de quibus non conuenit, imo omnia quæ ad mixtionem attinent Chimicos fugiunt, & illis vna pro omnibus reliqua eſt ſubtiliatio: Sic Richard. Ang. correct. cap. 1. iam ſupra dixit, quamuis ars non tranſcendat faciens nouam naturam per ſimplicem laborem, tamen ars tranſcendit naturam quo ad illam naturam, quam poteſt proprie ſubtiliare, & ideo dicitur *ars imitatur naturam*, non quod nouam ædificet, ſed quod illius naturæ virtutem ſubtiliet. Sed quicunque ſcripſerunt de ortu & interitu, hanc ſubtiliationem ac generationi tam neceſſariam non inuenerunt, non agnouerunt, aut ſi hanc materiæ præparationem cognitam habuerunt, eam nunquam verbis expreſſerunt, & in rerum ortu minimas tantum dederunt partes, non totam generationis poteſtatem. Sed & hanc naturæ imitationem quam profert Richard. nunquam cogitauit ſapiens orbis, mirorque Chimicos tam multo in ore habere, *ars imitatur naturam*, cum ſubtiliare ſeu depurare, vt ſic loquar, materiam, neutiquam ſit naturam imitari. Sed ſimiles ſint materiæ præparatio naturalis, & materiæ ſubtiliatio per ignem Chimice, non tamen ideo aut generationem nouimus, aut eius & effecta & cauſas comprehendimus; quare tota hæc res male habet viros, dicatque Mantuanus Æglog. 6. quod ægre habebit Chimicos.

Eſt etiam cuius vecors induſtria vanas
Quærat opes, vbi nullus opes inuenit ab æuo,
Æs lauat herbarum ſuccis, & vertere in aurum
Æſtimat, ac nigra ſemper fuligine pallet.
Eſt qui dum tellure latens deſiderat aurum
Dat magicis operam ſtudiis, & tempora perdit.

Quid leuius? quid futilius? quid inanius vnquam?
Omnia, ne veniant ad opus telluris & agri,
Omnia pertentant, & agunt nihil, omnia verſant,
Semper agunt, nunquam peragunt.

Nunc ſubiectum Chimicorum ſe offert, ſed inter eos ipſis prius conueniat an aurum purum, vt Augur. Chryſ. 3. an vinacea, an capillamentũ flauum, an ouum, argentum viuum & ſulphur, tutia, antimonium, arſenicum, auripigmentum, ſanguis humanus, an ouis nigra, &c. ſit Elixir lapidis philoſophici, ſeu verius pulueris, an Sol mas, Luna mulier ſit illud: & ratione ſtabiliant, & omnia deniq; nobis ſyncere diluẽda relinquant: nam de incognitis diſputare nõ ego induxi in animum; ſatis habens ea dixiſſe, quæ ſupra, non eſſe eiuſmodi lapidem, nec eſſe poſſe, & quando fuerit non poſſe inde reſultare tranſſubſtantiationem. Quare, vt ſupra ex Threuiſ. dixi: *Qui lapidem vidit, is pariter credat*: & ex Gebro, *in quibus eſt, ex illis elicitur lapis*, id eſt, nullis rebus, id eſt, eum ac nullus vnquam vidit, ita nec ſe viſurum credat. Recte enim Paracel. lib. 1. de cauſ. morb. inuiſ. Alchymiſtæ nihil ſciunt, & ſemper quærunt, ſi vnum inueniunt, econtra vicies decipiuntur, aut nunquam aliquid habent: qualis enim quisque eſt, talis eſt & fides & ars eius. Et lib. Paragr. cap. de virtute, ait, Alchymia ſeducta eſt à diabolo, & ſe in linguas mendaces & doctrinas falſas diſperſit: & vt cantato lapidi ſemel nuncium remittam, ait, Penotus Londrada à portu ſanctæ Mariæ Aquitanus, Chimicus, tractatu de particularibus: Quibuſdam Chimicis; Saturnus Philoſophorum eſt proprie Marchaſita plumbi, & certe præſtat Sole & Luna, & tranſmutat Lunam in Solem. Vale Geber qui perſuaſeras vnam eſſe viam tranſmutationis, per puluerem ſcilicet, en tibi aliam, tu cornix cornici confige oculos. Heus Augurelle, non ex auro, & in auro eſt auri ſemen ac ſperaſti, ſed plumbo: cum

Chenæ-

Chenæus apud animum ſuum quid ſit dicturus conſtituerit, his tribus diem dicat.

His omnibus abſolutis, & contrariis rationibus dilutis, calcinationi, ſolutioni, elementorum ſeparationi, coniunctioni, putrefactioni, coagulationi, cibationi, ſublimationi, fermentationi, exaltationi, augmentationi, proiectioni Elixiris, Chimici, habent quod reſpondeant omnes. quid tandem? equidem ſane, vt ſit operoſis hominibus aliqua apud me gratia, incumbant operi, fingant, tranſmutent, nouent, alterent, generent, deſtruant, verberent, reuerberẽt, ſopitum ſuſcitent cinerem, viuum ſepeliant, fumos colligãt, collectos macerent, euaporent, mortificent ſpiritus, matratiũ Hermetice claudant, Gebrice aperiant, Paracelſice obturent, Bachonice in fine ſepeliant, Treuiſanice per nouẽ menſes foueant, ſales reſuſcitent, fulminatam Lunam calcinent, extrahant alculi, cum cœleſti menſtruo eliciant animam, & ſpiritus quos voluit eſſe nigros natura in Chimicorum vſus, ſaltem occiduos & ſeptentrionales, illi dealbent, elementa graduent, terram ſublimẽt, ſalamãdram Chimicã coagulent, & quid non? ſed inde, ac Plato ſuos poetas hos obſoletæ nequitiæ, interpolatores ego balſamo coctili delibutos, ſulphur ſpirantes, Mercurium eructantes, carbonem olentes, fumis nigricantes, ex cerebro laborantes, ex influxu ſpiritus antimoniaci ſyderatos, bonorũ omnium decoctores, nepotes exulare in oris Chriſtiano orbi ignotis iubebo. Spagyricæ animalium, vegetabiliũ, & mineralium præparationi incũbant, vt ſuam rem profundant per leges licet, aut conniueant quouſq; decoquat opifici res, qui bonæ fidei & creditoribus decoxerit: ſic Comici ſcortũ publicũ vt adornet, vt ditet, vt accubet infrænis iuuentus, permittũt, ne occupatã ſtultis his cauſis adhuc occupent, ſed vbi aliquando id nimium delicatũ habuerit iuuentus, vbi argentariæ non ſunt illecebræ, vbi bene merentẽ iuuentam meretrix habet deſpicatui, cõtinuo

rixæ, dies dicitur, audita re ex vtraq; parte, ſublinitum os iuueni damnat authoritas publica, negotioſum ſit ſcorto tergum: ita Chimici ornent Elixir, fucent mineralia, alterent vegerabilia ſecum per leges licet. At ſi facetis fabricis, & doctis dolis glaucomam ob oculos nobis obiecerint, noſque ita faciant, vt quod viderimus non viderimus, noſtras vitas negociētur, aut proſtituant venenatis pharmacis: *Omne enim metallum intra corpus ſumtum venenum eſt*, teſte Paracelſo lib. 2. de morb. metall. tract. 1. cap. 2. qui ait: *Corpus ſulphuris eſt ignis, corpus Mercurii eſt fumus, & quoduis metallum ſuum dat ignem, ſuum fumum, & hæc duo corpora pariunt hominibus ignem tractantibus morbos ſuos: quilibet enim ignis ſuum habet aerem, qui ipſi eſt congenitus, & ex ſulphure oritur, ille aër naturam habet, vt aër in quo eſt impreſſio: hæc impreſſio ſcatet ex minera ſulphurea, ſicut lilium emittit odorem, qui eſt naturalis impreſſio inſeparata à corpore, talis etiam odor eſt in ſulphure, qui quidem aër vocatur. Ex quo ſequitur quod & illi, qui in igne laborant, illum aërem, qui ab igne exit, & non illum, qui eſt ex mundo, hauriant, vnde & venenum: ſed cum varia ſunt genera fumi metallicarum tabernarum ex mineris ſuis aſcendentis: vt arſenicum, realgar, auripigmentum, & ſimilia multa vna cum ſuis ſpeciebus. ſcimus quod iſte fumus ſit Mercurius, ſimiliter quod iſte Mercurius ſit arſenicum, realgar, & auripigmentum. Sciendum etiam eſt quam mala venena illa ſint, & cum quanto periculo vitam noſtram quærant, quod ipſorum halitus ſit inſalubris. nam fumus iſte antequam adhæreat, tam efficax eſt ac quando adhæſit. Itaque manifeſte videmus, quod aër & fumus vnum fiant, & indiuiſibilem mixturam coëant: cum vero homo aëre vti cogatur, ſine dubio etiam Mercurium aſſumere cogetur: hominibus enim impoßibile eſt aërem ſeparare: imo qualis eſt in ſua coniunctione, talem ipſum attrahi neceſſe eſt.*

En

En duo hic habeo: 1. eſt, materiam primam metallorum, id eſt, argentum viuum: & Quercet. opificem, id eſt, ſulphur plane & plene eſſe venena, ſed cum omni metallo ſemper inſint, ſequitur quicunque metallum deuorat, venenum deuorare. & ne Chimici ſomnient eſſe res diuerſas, quæ ſeparantur ac dixi ex Paracelſo ex fluxione mineralium, & quæ remanent in fixo corpore, Paracelſ. ait ibidem, corpus fragile eius eſt naturæ, vt tria corpora in ſe contineat, videlicet Sal, Sulphur, & Mercurium, iſta tria in igne ſegregantur, & quamuis fixum corpus ex iiſdem tribus conſtet: attamen in fixo non ſeparantur: quando igitur corpus fragile in igne ad ſeparationem tendit, pars eius recidit ad Sal, hoc eſt, cinerem ac ſcoriam, quæ fiunt, de his non eſt mihi ſcribere animus, de Mercurio & Sulphure reliquis partibus agamus.

En rem noſtram optime comparatam: ſed regerent Chimici præparationibus ſuam deleteriam vim annihilari, dico ſi principia ſemper inſunt, vt partes, & ipſa ſint venenum quod quærimus, nullis coctionibus eluitur macula, recte enim ille ignis metallorum venenum non tollit, ſed acuit.

Secundum quod occurrit eſt Chimicos ex præparatione metallorum ſeipſos interficere volentes, ſcientes, vt dicunt, vnde duplici nomine male habendi. Primo, cum Deus ſit caſtri id eſt hominis rector, Chimici inconſultò rectore rude donant animam, militem Dei præſidiarium, qui iuſſus eſt in aduentum domini ſui & gubernatoris corpori leges dicere, & pacifice corpus habitare pro rationis ductu, vt vterq; tandem laurea coronatus debiti officii præmio accumuletur: Secundo & hac de cauſa admonitione digni, quod omnem nequitiam ſuperent, etiam magorum eam, qui ſe Satanæ proſtituere, ac ſupra ex Paracelſ. dixi: hi enim ſe lædunt, aliis ſunt ſæpius vſui, frequentius tamen nocent. At enim Paracelſ. cap. 4 tract. 2. lib. de morb. me-

tali. *Accidit omnibus Alchymiſtis,qui ſe in igne oblectant & exhilarant,quod ad extremum omne in luctum vertitur,ignis enim multo ſubtiliora venena contra eos euomit, quam mineræ,nec præ illis ſtat, quin obruto mundo illi ſint comites: ô inſania intoleranda! ſed & hoc eſt illis curæ, vt politia occidat inter viuos,aurum enim adulterant, vt numus regius adulteretur, emungunt compoſitis ad rem vocibus numos, quos denuo decoquant, cauſa non eſt tamen, quin leges in iſta, vt faciunt, animaduertant, ne ſcilicet vitam hominum nequitiæ ludibriis exponere venalem videantur,qui maleficos frænare volunt videri mores.* Sed quod ad me attinet,habeat Chimicorum iſta boni aliquid diſciplina,ſi quam fere totam ac ſpuriam,& morboſæ rei inutilem omnis damnauit, & proſcripſit reſpublica,in integrum reſtituat, ſanis cōſiliis edocta metallorum metamorphoſin,& decoctionem illi eſſe neceſſariam,& hominum vitæ amicam,ſi ratione ex ſapientibus Academiarum doctoribus euicerint Chimici frugem bonam aliquando ſe facere poſſe,quos,vt plurimum, ac rationis inſcios,& periclitatores, hoc eſt, vt Paracelſi verbo vtar,lib. Paragr.cap.de Philoſ. experimentatores,ſeu fortuitos & deſperabundos ſpiratores illi damnant,qui,vt habet Prouerbium,in vaſis iactura, referente Quercet. Sclop. cap. 5. experiri non verentur, hoc eſt, vt cum Plinio dicam, hominum periculis diſcere,& per experimenta fallacia,ac cōiecturas morbum hominibus inferre, quorum culpa ac temeritate efficitur, vt medendi ars (qua poſt ſacra dogmata nihil mortalibus eſt excogitatum ſalubre magis ac neceſſarium) vna cum profeſſoribus ſit deſpicatui.

FINIS.

IVDICIVM IVLII CÆSARIS SCALIGERI, IN EXOTERICIS diſputationibus ſuis, de transelementatione metallorum, & fornace Alchymiæ.

Iſtas (puta Alchymiſtarum) fornaculas odio odi pluſquam Vatiniano. Sunt enim noctuæ ad aucupia crumenarum, à quibus aurum, quod poſtea pollicentur, aliis ſibi captent prius. Exerc. 23. ſect. 1.

IDEM.

Cæterum ſuo quicque in cenſu perfectum, etiam Pulex, etiam Ricinus. Tam vero ſunt alia metalla à Natura inſtituta, vt ex eis aurum fiat, quam cæteræ animantes, vt ex iis fiat Homo. Exerc. 106. ſect. 2.